DE

STESIMBROTO THASIO EIUSQUE RELIQUIIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXIII

PUBICE DEFENDET

EDUARDUS HEUER

GUESTFALUS.

SEMINARII PHILOLOGICI MONAST. SENIOR.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Nihil in studiis parvum.
Quintil.

Litteraria Graecorum historia tam multos exhibet eximie de litterarum Graecarum flore meritos, ut mirum non videatur, prae his clarissimis eos qui minorem sane consecuti sunt famam in oblivionem venisse tantam, ut vix nomina eorum apud nos nota sint. Atqui si in eiusmodi hominum conditionem accuratius inquiras, satis gravi hos illos esse momento nec tam humili loco habendos cognoscas. Quorum in numerum prae ceteris referendus videtur Stesimbrotus Thasius. Atque huius quidem universa conditio tam est singularis, ut profecto digna sit de qua fusius agatur. Nemo igitur, puto, huius commentationis argumenti optione offendetur, quod equidem de Stesimbroto Thasio uberius disserere mihi proposui. Cur autem in hac potissimum materia tractanda studium meum operamque collocarim quamque rationem inierim in hac re, paucis exponam.

Qui de Stesimbroto Thasio primi egerunt, Vossius de hist. graec. IV, c. 7, Ionsius de script. hist. phil. I, c. 4, Fabricius bibl. graec. I, p. 524 Harl., rem magis attigerunt quam exhauserunt. Neque Sintenisius (Plut. Them. ed. 1832 p. 14 sq.) satis accurate de eo disputavit, immo ne suam quidem rem peregit, quatenus qualis Plutarcheus sit Stesimbrotus docere studuit. Quapropter recte C. Fr. Hermannus (ind. lect. aest. Marb. 1836 p. VIII): „vellemus etiam reliqua eius vestigia Sintenisius indagasset ita, ut universa hominis conditio . . . aliquanto clarius appareret.“ Verum ipse Hermannus, quamquam nonnulla ad eius notitiam pertinentia addidit l. c., nequaquam illam quaestionem absolvit; neque voluit eam absolvere. Denique Muellerus (hist. graec. fragm. II, p. 52 sq.) singula veterum testimonia una cum fragmentis Stesimbroti diligenter quidem collegit atque complura attulit ad cognitionem eius augendam, sed etiam-

nunc multa restant ad eam perficiendam. Schilderum autem vix respiciendum censeo, quandoquidem in dissertatione sua „de rerum scriptoribus, quibus Plutarchus in Themistoclis vita perscribenda usus est, Vratisl. (Leobschütz) 1850", praeterquam quod parum accurate in re nostra versatus est, ad Stesimbrotum quidem quod attinet, p. 12 sq. tam anxie Hermanni Muellerique vestigia pressit, ut nihil de suo ingenio addiderit. Quae cum ita sint, non spero opera et otio me abusurum fuisse, si id egerim, ut omnibus, quaecunque exstant, de Stesimbroto testimoniis denuo summa cum cura collectis et inter se comparatis quam maxime in aperto sit, quis fuerit ille et quid fecerit. Quam quidem rem eo lubentius suscepi, quod nemo, quantum scio, usque ad hoc tempus peculiari libello de Stesimbroto disseruit. Neque puto me acta agere. Etenim accedit altera gravissima causa, qua ad conscribendam hanc commentationem vehementer commotus sum. Quippe omnes fere, qui de Stesimbroto egerunt, aut prorsus falsam et perversam, veluti Kreuserus in libro qui inscriptus est „Homerische Rhapsoden oder Rederiker der Alten (Coloniae 1833)", aut parum certam accuratamque de eo protulerunt sententiam propterea, quod non ea, qua par erat, cura ac diligentia omnes locos et testimonia investigarunt atque examinarunt. Unde fit, ut noster plerumque in humillimorum hominum numero habeatur, quorum memoria vix servanda sit, praecipue autem nullam auctoritatem et fidem mereri putetur. At vero contra illos, ut mihi quidem videtur, parum iustos iudices mihi tamquam defensoris partes suscipiendas esse arbitror, quas pro virili parte explere conabor. Ut autem recte munere meo fungar, summa manifesto in singulis locis perscrutandis cautio opus est et maxime quidem in tractandis Stesimbroti reliquiis. Quare eius fragmenta, quamvis diligenter a Muellero congesta, in quaestione nostra omnino non debent negligi neque indigna sunt quae denuo percenseam et illustrem, cum praesertim ille nonnulla adiicienda, exponenda multa reliquerit.

Itaque rem meam ita agere institui, ut primum de vita Stesimbroti, deinde de singulorum eius operum natura et indole disputarem, hac in re praecipue fragmentorum ratione habita, quae quidem in certum ordinem redacta in calce libelli addentur.

De Stesimbroti vita perpauca memoriae tradita sunt, quare plena atque omni ex parte absoluta eius cognitio haud facile potest comparari. Sed tamen si omnia, quae ad eius notitiam spectant, vestigia apud scriptores cum cura indagaverimus, universa hominis conditio satis clare apparebit.

Ut primum de nomine Stesimbroti quaeramus (hoc enim non est omittendum, quia testes in scribendo nomine variant), haud dubie sola scriptura Στησίμβροτος, Stesimbrotus, pro recta haberi potest, quippe quae a probatissimis scriptoribus sola usurpata exstet. Quod autem in nonnullis libris Eusebii praep. ev. X, 11 hoc nomen υ vocali littera pro ι scriptum est, librarii errorem facile agnoscas. Etenim illam vulgatam scribendi rationem etiam analogia, quae vocatur, ut Στησίχορος, Στησίλεως etc. solam tuetur. Itaque nominis scriptura Στησίμβροτος adeo est certa, ut nihil possit valere, quod in uno codice Strabonis X, p. 472 Στησίμβρατος et in Tzetzae adnotatione ad Lycophr. Cassandr. p. 42 ed. Steph. Στασίμβροτος (sic corrigendum pro στασίμβροτον; vide fragm. VII) legitur. In aliquot autem libris manuscriptis Fulgentii de abstr. serm. v. sandapila (vid. fragm. XXII) Thesimbrotus Thasius vel Stesimbrotus Stasius exhiberi, vix opus est monere. Tale vitium scribarum inscitiae aut negligentiae tribuendum esse nemo non videt.

Neque de patria Stesimbroti nostri in ulla versamur dubitatione. Ut enim illud, quod in Fulgentii libris inest, scripturae mendum omittam, ab omnibus auctoribus, qui natalem eius locum indicant (Plat. Ion p. 530 D; Plut. Cim. c. 4; id. Per. c. 13; Strabo X, p. 472; Athen. XIII, p. 589 D. E; Tatian. adv. Graec. p. 166 — cfr. fragm.), ὁ Θάσιος

cognominatur. Patria igitur Stesimbrotus fuit Thasius, h. e. ex Thaso insula oriundus. Quocirca minus recte Meinersius hist. litter. T. II, p. 173 Stesimbroti patriam non esse notam putat. Athenis vero per aliquod tempus domicilium ei fuisse infra apparebit.

Iam quo tempore noster vixerit investigandum est. Singula quidem de hac re non habemus accurate comperta, quoniam neque quo anno sit natus neque quo mortuus, pro certo statui potest. Sed aetas eius complurium auctorum consensu adeo est confirmata, ut in dubium vocari nequeat. Quippe Cimonis et Periclis aequalis fuit. Eodem cum Cimone, Miltiadis filio, tempore eum vixisse testis est Plutarchus, qui satis dilucide dicit Vit. Cim. c. 4: Στησίμβροτος δ' ὁ Θάσιος, περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς. Atque hoc quidem loco, si recte eum perspicio, Plutarchus fere eodem simul cum Cimone tempore natum esse Stesimbrotum indicare videtur. Quodsi enim satis vulgarem illam significationem formulae γεγονώς et accurata, quasi cum vi quadam cumulata verba περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον consideramus, concludere licet, Plutarchum certum quoddam tempus accurate definire, ad quod natales et Cimonis et Stesimbroti sint referendi. Etenim hos eodem fere tempore natos esse cur non credamus, non est causa. Nam Cimon fere aequalis fuit Periclis; huius vero aetate Stesimbrotum vixisse, cum Plutarcho egregie consentit Athenaeus XIII, p. 589 E his verbis: ὅστις (scil. Περικλῆς) καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ ξυνῆν, ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ (sc. Περικλεῖ) χρόνους γενόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτόν. Mea igitur sententia ex illo Plutarchi loco colligendum videtur, Stesimbrotum eodem fere tempore atque Cimonem natum esse; neque a verisimilitudine tale quid abhorret. Accuratius quidem tempus definire non licet, quia de Cimonis die natali nihil exploratum habemus. Certe autem dictio περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον γεγονώς maiorem habet vim quam in universum aetatis Stesimbroti indicandae.

Dubitari igitur nequit quin Stesimbrotus Cimonis Periclisque aetate vixerit; hoc, si nihil aliud, ex illis Plutarchi et Athenaei testimoniis necessario sequitur. Cum his auctoribus mirum quantum alii consentiunt. Suidas lexicographus v. Ἀντίμαχος Stesimbrotum et Panyasin magistros Antimachi Colophonii appellat. Qui quidem locus, de quo infra disertius dicendum erit, apud nonnullos non invenit fidem quam meretur, sed ad comprobandam Stesimbroti aetatem haud dubie satis valet. Cum enim Antimachum teste Diodoro Siculo XIII, 108 sub finem belli Peloponnesiaci floruisse notum sit, Stesimbrotus, siquidem magister eius erat, Periclis aetate degerit atque Panyasidis fere aequalis fuerit necesse est. Deinde vero Xenophon quoque illud confirmat, quippe qui in Symposio III, 6 Stesimbrotum magistrum Nicerati et aequalem Socratis faciat. Niceratum autem exeunte bello Peloponnesiaco vixisse elucet etiam ex Lysia adv. Poliuchum p. 149 Steph. coll. Xenoph. Hell. II, 3, 39, id quod cum Stesimbroti annis plane congruit. Accedit denique locus Platonis (Ion p. 530 C. D), ex quo probabile fit Periclis aetate nostrum vixisse.

Itaque quamquam Stesimbroti tempus adeo accurate notatum non habemus, ut singulos eius annos certos statuere nobis liceat, hoc tamen satis constat, Cimonis eum et Periclis fuisse aequalem. Verum non ante Ol. 87, 2 (a. 430 a. Ch. n.) eum obiisse, si Plutarcho fides est habenda, tam est manifestum, ut in disceptationem venire non possit. Perspicue hoc intelligitur ex Plut. Per. c. 36 (vid. fragm. XIX). Nam cum hoc loco Stesimbrotus de infensa, quae inter Xanthippum et Periclem intercessit, ratione narret eamque usque ad mortem filii durasse testetur, hic vero peste Athenis exorta Ol. 87, 2 mortuus esse eodem loco tradatur (ἀπέθανε γὰρ ὁ Ξάνθιππος ἐν τῷ λοιμῷ νοσήσας), isto tempore Stesimbrotum etiamtum vixisse atque Xanthippo superstitem fuisse patet. De hac igitur re nulla dubitatio locum habere potest.

Verum enimvero et fere necessarium est ad certam

rectamque de Stesimbroto ferendam sententiam neque ab hoc loco abhorret exquirere, quo tempore Stesimbrotum Athenas venisse veri simile sit. Namque hoc si definierimus, ea, quae infra de vitae eius indole exponentur, magis etiam in aperto erunt. Athenis enim eum aliquam vitae partem degisse iure et supra et hic contendere mihi videor. Illud enim cum ex iis Plutarchi, Athenaei, Suidae, Xenophontis et Platonis locis liquet, quos antea attuli. tum ex iis multo dilucidius liquebit, quae posthac de Stesimbroti vitae conditione eiusque scriptis dicenda erunt. Quando autem noster Athenas se contulerit, haud facile ad liquidum perduces. Sed non prorsus a vero aberrare videmur, si eo fere tempore Stesimbrotum in illam urbem migrasse suspicamur, quo Thasus insula per Cimonem in Atheniensium potestatem redacta est h. e. Ol. 79, 2 (cfr. Clinton fast. Hell. p. 244). Certe non ante hoc tempus propter bella inter Graecos et Persas gesta ille patriam suam relinquere animum induxerit. Verum quin a Cimone, insigni artium litterarumque fautore (cfr. Curtius H. G. II, p. 124 sq.), permotus sit, ut Athenas se conferret, vix dubitari poterit, modo consideres, quae infra de familiari eorum necessitudine exponentur. Itaque et Stesimbrotum et, ut egregie O. Muellerus statuit (goett. gel. anz. 1824, Nro. 115), celeberrimum illum pictorem Polygnotum Thasium Cimon secum in patriam duxisse putandus est. Quod si probabile est, Thaso insula expugnata, circa Ol. 79, 2 nostrum Athenas venisse iure mihi videor coniicere.

Postquam igitur de patria atque aetate Stesimbroti egimus, iam nobis disquirendum est, qualis fuerit eius vitae conditio qualisque indoles et ingenium, quatenus quidem haec inter se cohaerent. Quoniam vero hanc potissimum quaestionem ii, qui de nostro egerunt, parum diligenter recteque instituerunt, non vereor, ne in percensendis singulis et iis quidem perpaucis testimoniis longe ac nimis circumspecte versari videar. Quapropter, ut rem ad certum finem perducamus, nobis quasi pedetentim in argumentatione nostra progrediendum est.

Suidas, ut ab hoc lexicographo incipiamus, quia eius de hac re testimonii fides a nonnullis vehementer addubitatur, v. *Ἀντίμαχος* disertissime Antimachum Colophonium Stesimbroti auditorem appellat his verbis: *Ἀντίμαχος Κολοφώνιος, υἱὸς Ὑπάρχου, γραμματικὸς καὶ ποιητής· τινὲς δὲ καὶ οἰκέτην αὐτὸν ἀνέγραψαν Πανυάσιδος τοῦ ποιητοῦ, πάνυ ψευσάμενοι· ἦν γὰρ αὐτοῦ ἀκουστὴς καὶ Στησιμβρότου· γέγονε δὲ πρὸ Πλάτωνος.* Eadem de Antimacho, quae Suidas, Eudocia hunc ex more suo secuta dicit in Violario p. 61. Suida igitnr teste Stesimbrotus Antimachi magister fuit. Cur autem Suidae l. c. fidem non tribuamus non est causa, quare Bernhardius in adnotatione sua ad illum locum recte Schellenbergii sententiam improbat, qui (Antim. rell. p. 10) „ipsa fama, quae Antimachum Stesimbroti discipulum facit, nihil putat incertius.“ Equidem, cum neque Schellenbergius gravem talis iudicii causam apposuerit neque alius quis eam invenerit, illud Suidae testimonium omnino non negligendum duco, quamquam unde Suidas hoc sumserit non in aperto est. Quod igitur Schellenbergius l. c. p. 9 dicit nusquam alibi se illius famae vestigium invenisse eamque pro certa nemini venditare, nihil nos movet. Quocirca Suidae locum ad partes vocare non dubito, cum praesertim, quod ibi traditur, id etiam aliorum scriptorum testimoniis probabilitatem accipiat. Sed de his postea! Neque vero id dubitationem movere debet, quod Suidas poetam Antimachum eundemque grammaticum vocat. De qua quidem re Schellenbergius l. c. p. 33 sq. dubitat nec non Fr. A. Wolfius cum illo consentiens l. e. p. 120 sq. (in epistola Schell. dissertationi accedente) grammaticum Antimachum a poeta Colophonio diversum et posteriorem habendum esse contendit. Quam utriusque viri docti sententiam si refutare vellem, disquisitione mihi opus esset nimis fusa et aliena a nostra re, nam non cum Antimacho nobis est res. Hoc loco id tantum commemoro, neque grammaticae criticaeque artis originem, ut illi putant, ad Aristotelem demum referendam esse et Antimachum potuisse pro aetatis suae ratione optime poetam

eundemque grammaticum esse. Non est igitur, cur Suidas l. c. diversos auctores inter se miscuisse videatur huic quidem opera detrahendo, illi attribuendo. Rem ita se habere, ut Suidas l. c. testatur, hodie adeo pro explorato haberi puto, ut hoc tamquam fundamento niti liceat.

Antimachus igitur Stesimbroti fuit auditor, hoc est, magistro eo usus est. Ergo docuit Stesimbrotus, et quidem haud dubie Athenis, quemadmodum ipse Antimachus certo hac in urbe versatus et discipulos nactus est, cum Plato ipsum audiret „Antimacho unus instar omnium" (Cic. Brut. c. 51). Athenis Stesimbrotum docuisse, etiam Platonis (Ion. p. 430 D) et Xenophontis verba (Symp. III, 6) fidem faciunt. Atque hoc Xenophontis testimonium patefacit, nostrum ab auditoribus s. discipulis suis pecuniam exegisse, unde concludendum videtur, docendo eum opes sibi quaesivisse ad vitam sustentandam. Verum philosophusne erat an grammaticus an alii studio deditus? Ut appareat, cui magistrorum generi noster sit adscribendus, ad Antimachum eius discipulum respiciamus. Is quod poeta fuit, vix aliquo in quaestione nostra potest esse momento, nisi forte placet, Stesimbroto vim quodammodo et gravitatem et minime vulgare eloquendi genus, quas virtutes Quintilianus inst. orat. X, 1 Antimacho tribuit, hunc debere potuisse, quatenus poeta ab alio instrui atque erudiri potest. At vero grammaticum vel alium eiusmodi litteratum hominem Stesimbrotum fuisse admodum est consentaneum. Quippe si discipulus erat grammaticus, idem aut simile quid magister Stesimbrotus egerit necesse est. Qua de causa hunc quoque grammaticum equidem appellaverim. Sed, ut cognoscas, quo iure et Antimachum et Stesimbrotum grammaticos fuisse dicam, statuere opus est, quo sensu notio g r a m m a t i c i de illis sit accipienda, nam variis temporibus variam istam fuisse notum est. Sane g r a m m a t i c i nomen Stesimbroti aetate non eam habuit significationem, quam nos in ea inesse volumus. Ut enim Fr. A. Wolfius prolegg. in Hom. p. 170, n. 36 (p. 103 ed. II.) exponit, illa a Pisistratidis ad Zenodotum aetate

vocabulum γραμματικοῦ non professionis erat sed scientiae, atque apud Platonem, Xenophontem, Aristotelem ἀγράμματος dicebatur is, qui scribendi et legendi facultate carebat, qui eam tenebat, γραμματικός. Minime vero inde sequitur, Antimachum non debere vocari grammaticum, quod illo tempore vixerit, sicut prae ceteris Schellenbergius l. c. p. 34 vult. Originem autem grammaticae criticaeque non ab Aristotele demum ducendam, sed iam multo antea illius artis fundamenta a sophistis iacta esse apud hosque eam floruisse, hodie vix opus est monere. Praecipue vero observandum est, Suidam, quandoquidem Antimachum vocat grammaticum, non ita anxium cautumque fuisse in respiciendis vocis notionibus, prout singulae aetates poscere videri possint, sed magis solitam posteriorum temporum rationem secutum esse, ex qua grammaticus is est, qui tractandis litteris, imprimis autem scriptorum operibus exegetice et critice explicandis emendandisque occupatus erat. Athenis inde a Persicis bellis in Homero maxime talia studia collocata esse res est notissima. Ita Antimachus quoque habendus est grammaticus, quoniam non solum de Homero egit sed etiam critica ratione pertractatum eum edidisse traditur. Immo iam Theagenes Rheginus, qui Cambysis, Persarum regis, aetate vixit teste Tatiano adv. Graec. p. 166 ed. Par., in Bekkeri Anecdotis Graecis 729, 22 grammaticus primus perhibetur. Etenim πρῶτος ἔγραψε περὶ Ὁμήρου secundum scholia Ven. ad Il. XX, 67. Dubitari igitur nequit, quin Antimachus quoque grammatici nomen accipere debeat. Forsan quispiam opponat (idque Schellenbergius l. c. p. 34 fecit), a Tatiano l. c. inter alios Antimachum (atque Stesimbrotum) manifesto distingui a Zenodoto, Aristarcho, Callimacho, hos vero expresse grammaticos nominari. Sed rectissime Villoisonus prolegg. in Hom. schol. Ven. p. XXV: „Erudite Tatianus antiquos scriptores, qui ὡς πάρεργον criticam tractarunt, ab iis, qui posterioribus temporibus eam unice coluerunt, distinguit.“

Quae de Antimacho uberius disputata sunt, eadem in Stesimbrotum nostrum utpote eius magistrum cadere iam supra

monuimus, quam ob causam non inepte et frustra illa satis fuse explanata esse arbitror. Itaque Stesimbrotus quoque grammaticis studiis se dedisse et hac de re scholas, ut ita dicam, habuisse censendus est. Unde iam elucet, eum antiquorum poetarum, prae ceteris Homeri carminibus explicandis operam navasse, cum ab hoc, ut iam commemoratum est, illa aetate Athenienses omnem doctrinam eruditionemque atque maximam animorum voluptatem peterent. Qua de re cf. egregie disputantes Fr. A. Wolfium Prolegg. et Nitzschium de hist. Hom. melett. In Homero autem tractando nostrum versatum esse, etiam e luculentis plurium scriptorum testimoniis discimus. Namque illo, quem iam aliquoties laudavimus, Tatiani loco una cum Theagene Rhegino, Antimacho, aliis in serie eorum ponitur qui de Homero egerint. Maxime vero illud e Xenophontis et Platonis locis intelligitur, qui iam examinandi sunt et eo quidem accuratius, quod nonnullis nimirum parum recte perspecti ad perversum de Stesimbroto iudicium ferendum ansam dederunt. Xenophonteus locus est ille (Sympos. III, 6), ex quo mercede Stesimbrotum Athenis docuisse cognovimus. Sed nunc huius loci quo melius intelligatur sententiarum nexus considerari debet. In illo convivio qraeter alios Niceratus a Socrate interrogatus, qua facultate sibi videretur excellere et qua re maxime delectaretur, respondet, se, ut bonus vir fieret, a patre coactum esse tota Homeri carmina discere adeo, ut integram Iliadem Odysseamque iam possit *ἀπὸ στόματος εἰπεῖν*. Cum autem Antisthenes sciscitetur, num nesciat etiam rhapsodos omnes illa carmina ita nosse, se haud illud ignorare dicit quippe quotidie fere eos audientem. Tum Antisthenes: *οἶσθά τι οὖν γένος ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν;* Niceratus assentiens *οὐ μὰ τὸν Δία* „inquit, *οὔκουν ἔμοιγε δοκεῖ*, scil. stultius esse genus hominum rhapsodis. Hac enim negatione Niceratus manifesto Antistheni non adversatur, quemadmodum Socratis quae subsequitur affirmatio comprobat (cfr. ad hunc l. Schneiderus, Xen. op. ed. Lips. 1815 T. V, p. 171): *Δῆλον γὰρ, ὅτι τὰς ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται (οἱ ῥαψῳδοί).*

Σὺ δὲ (Niceratum alloquens) *Στησιμβρότῳ τε καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον, ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε.* His verbis Stesimbrotus et Anaximander indoctis rhapsodis, qui *τὰς ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται*, prorsus haud dubie opponuntur. Etenim, si locum recte capio, Socrates verbis *σὺ δὲ κτλ* dicit: Tu vero, Nicerate, non memoriter tantum pronuntiare Homeri poemata poteris, sed certe *τὰς ὑπονοίας* eorum cognitas habes, nam tu Stesimbroto aliisque usus es talibus praeceptoribus, ut nihil te fugere possit eorum, quae in illis operibus gravia sunt et magno momento, h. e. doctrinae sapientiaeque, quae in iis latet. Utique autem hoc loco non nisi de intelligendis et interpretandis Homeri carminibus cogitandum est. (*τὰς ὑ π ο ν ο ί α ς ἐπίστασθαι, οὐδὲν τ ῶ ν π ο λ λ ο ῦ ἀ ξ ί ω ν λέληθε*). Sic expresse Stesimbrotus ab illis rhapsodis separatur, quorum stultitia antea carpitur. Neutiquam vero ista Socratis verba ironiam sapiunt, ut re vera significent Stesimbrotum et Anaximandrum aeque stolidos esse atque illos rhapsodos. Quae quidem Weiskii est opinio neque aliter ii sentiunt qui Stesimbroti virtutibus obtrectant. Sed equidem omnino non possum assequi, qua ratione in his simplicissimis apertissimisque verbis ironia inesse putanda sit praesertim sententiarum nexus respectu habito; a nostro loco illa prorsus est aliena, etsi in universum Socratem in ironicis dictionibus proferendis sibi placuisse concedendum est. Stesimbrotus igitur interpres Homeri iudicatur. Vehementer autem est dolendum, quod de Anaximandro illo, qui simul cum nostro memoratur, nihil certi compertum habemus. Namque huius Anaximandri accuratior notitia plurimum lucis sane afferre possit ad illustrandum Stesimbrotum. Ipse Wolfius prolegg. p. 162 n. 23 (p. 97 ed. II) istum parum esse notum affirmat. Sed Xenophonteus Anaximander nescio an minor sit Milesius, quem Suidas v. *Ἀναξίμανδρος* Artaxerxis Mnemonis aetate vixisse et *συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν* conscripsisse testatur. At vero Lampsaceni quoque Anaximandri mentio fit apud Fulgentium Myth. I, p. 27 ed. Bas.

De quo quidem loco cfr. Vossius de hist. gr. lib. I, c. 6 p. 25 et contra hunc Lobeckius Aglaoph. p. 157; fusius de Anaximandro Muellerus egit fragm. hist. gr. II, p. 67, quem vide. Nobis hanc quaestionem omittere licet, quoniam impeditior est quam ut inde certi aliquid eruere possimus ad nostram rem peragendam.

Transeundum iam est ad Platonis de Stesimbroto testimonium (Plato Ion p. 530). Platonis locum, quem hic ad partes vocare opus est, Boeckhius (de simultate quae Platoni et Xenophonti intercessit p. 20 — cfr. Stallbaumius ad Plat. l. c.) e Xenophontis Symposio III, 6 (vide supra) expressum esse censet. Utut est, Platonis verba in nostra disputatione gravissima sunt et eo magis urgenda, quod iis potissimum Kreuserus nisus de Stesimbroto diversam a nostra protulit sententiam.

Ne in adhibendo hoc loco erremus, tenendum est illo, qui Ion inscribitur, dialogo componendo id Platonem spectasse, ut rhapsodos derideret ineptissimos, qui in recitandis carminibus, quamquam omnem artem scientiamque sibi arrogarent, tamen et rerum notionibus et artium peritia omnino carerent (Fusius de totius dialogi consilio et argumento disseruit Stallbaumius Prolegg. ad Ionem, quem vide, praecipue p. 333 sq. — Plat. op. Vol. IV, sect. II, ed. II). Itaque Socrates, qui cum Ione vanissimo rhapsodo colloquens inducitur, urbana cum irrisione felicem rhapsodorum fortunam conditionemque praedicat, quippe qui et corpora ornatissima habeant pulcherrimis vestimentis et cum in aliis poetis tum in Homero tractando excellant insigni non solum carmina eorum recitandi sed etiam mentem sententiasque plane percipiendi ratione. Rhapsodum enim etiam intelligentissimum poetae interpretem auditoribus esse oportere. Atque has ipsas ob causas rhapsodos esse admirandos. Quae Socratis verba sine dubio ironiam redolent, quandoquidem eum prorsus aliter, immo contrarie de stultissimis rhapsodis sentire notum est et totius dialogi indoles docet. Verum Ion atque omnes rhapsodi, quos ipse eximie repraesentat, quam

vani sint et stolidi, ex Ionis responso elucet. Nam hic tantum abest ut veram Socratis sententiam intelligat ut non minore arrogantia quam stultitia sollertiam suam scientiamque, quae tamen nulla est, admodum extollendo se unum omnium optime de Homero dicere posse profiteatur, Socrati respondens l. c. p. 530 C. D: Ἀληθῆ λέγεις, ὦ Σώκρατες· ἐμοιγ᾽οὖν τοῦτο πλεῖστον ἔργον παρέσχε τῆς τέχνης, καὶ οἶμαι κάλλιστ᾽ ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου, ὡς οὔτε Μητρόδωρος ὁ Λαμψακηνὸς οὔτε Στησίμβροτος ὁ Θάσιος οὔτε Γλαύκων οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν πώποτε γενομένων ἔσχεν εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου ὅσας ἐγώ.. Ex his igitur verbis mea quidem sententia dubium esse non potest, quin Metrodorus, Stesimbrotus et Glauco prorsus ab Ione reliquisque rhapsodis separari et distingui debeant. Etenim ea mihi singularis huius loci vis et gravitas videtur esse quod scriptor summam rhapsodi arrogantiam insolentiamque adeo dilucide ostendere vult, ut hic cum Stesimbroto ceterisque, qui, re vera alieni a rhapsodis, propter praeclara studia Homerica magnam sibi paraverant famam, non solum se comparet sed his longe se praecellere glorietur. Itaque e Platonis quoque testimonio evincitur Stesimbrotum in numero interpretum (κάλλιστ᾽ ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου: εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου) Homeri fuisse neque humilem inter hos obtinuisse locum. Vehementer igitur errant ii, qui non pluris nostrum quam rhapsodos istos aestimandum neque omnino ab iis diversum esse censent. Imprimis Kreuserus (Hom. Rhaps. p. 31 sq.) eum pari cum vanissimis illis stultissimisque hominibus loco habet. Eiusmodi iudicium stare non posse, ex iis, quae de utroque testimonio disputavimus, satis puto liquere. Kreuserus autem (idque saepius huic docto viro accidit) et Platonis locum et Xenophontis parum intellexit. At vero omnibus locis, quos adhuc percensuimus, Stesimbrotus vir clarus nec tam parvae dignitatis famaeque apparet. Praeterea eum stolidis rhapsodis adnumerare non licet quia cum Metrodoro Lampsaceno et Glaucone componi-

tur, quos quidem prorsus ab istis distinguendos esse deinceps videbimus, quamquam a Kreusero cum iis confunduntur.

Stesimbrotus igitur, ut iam paucis illis quae exstant testimoniis examinatis proferam quae de eius universa conditione indoleque sentio, dubium esse non potest, quin Athenis docuerit. Habuit autem, si nostro more dicere licet, scholas et has quidem grammaticas, si quidem ita sunt appellandae, hoc est, cum auditoribus s. discipulis suis studia sua in tractandis litteris, praecipue vero in explicandis Homeri carminibus collocata communicavit. Propterea et quod mercedem ab auditoribus exegit, in sophistarum numero iure habetur. Sed tamen noli eum inter Protagoram, Gorgiam, Prodicum, ceteros referre qui plerumque sophistae vocantur. Verum enimvero de sophistarum natura et ratione, de vi et gravitate, quam per satis longum temporis spatium habuerunt ad mores hominum immutandos, vel de doctrina eorum disserere et longum est neque huius loci. De qua re cf. prae ceteris I. Geelii historiam criticam sophistarum in „nov. act. litter. societ. Rheno. Traj. Part. II, 1823." Nempe si inter sophistas Stesimbroto locum assigno, latiori sensu illi sunt intelligendi, „qui omnia, quae tum liberali studio digna habebantur, ad disciplinam suam redigere soliti, ne grammatica quidem praecepta et optimorum poetarum lectionem sibi negligendam putaverunt," ut egregiis Fr. A. Wolfii (Prolegg. p. 167; p. 100 ed. II) verbis utar. Sane sophistae alii alias artes doctrinasque disciplina sua complectebantur. Sic etiam ratio, quam Stesimbrotus in grammaticis studiis secutus est, a doctrina Pythagorae, Gorgiae, Prodici ceterorum videtur discessisse. Iam aetate his noster aliquantulum praestat. Rhetoricae autem, qua illi plurimum valebant, se non dedit neque omnino tali, quae ad philosophiam spectat, doctrinae, quali isti se excellere iactabant. Neque ullum vestigium locum dat opinioni, Stesimbrotum in aeque subtilibus iisque ad usum linguae praecipue pertinentibus disquisitionibus versatum fuisse atque ab istis sophistis factae esse perhibentur (cfr. Wolfius l. c. p. 167, Geelius l. c.). Sic a

Stesimbroto vix repereris tales nugas profectas, quales illorum aetate in etymologia prolatas esse e Platonis Cratylo cognitum habemus, vel etiam, quemadmodum Protagoras de usu imperativi verborum modi praecepit poetam reprehendens, quod musam tali modo invocarit. (Wolfius l. c.).

Eiusmodi grammaticas quaestiones Stesimbrotum instituisse neque exploratum est neque veri simile, quod de his postea demum controversiae agitari coeptae sunt, ille vero ad Persicorum bellorum aetatem magis accedens eam, quae tum valebat, Homericae explicationis rationem amplexus est. Namque in allegorica potissimum Homericorum carminum interpretatione procul dubio elaboravit. Huic iam philosophi operam navare studebant, qui, ut rectissime Wolfius Prolegg. p. 161 (p. 97 ed. II) statuit, fabulas, quas ridicule et indecore a veteribus poetis, praecipue Homero animadvertebant fingi de natura deorum et rerum, interpretatione sua corrigere atque ad physicam et moralem doctrinam suae aetatis accommodare, denique historias et fere omnia ad involucra exquisitae sapientiae trahere coeperunt. Praecipue Anaxagoram tali allegorica interpretatione famam nactum esse eiusque tamquam auctorem exstitisse constat. Atque in hanc rem, cui omnes fere litterati homines illius aetatis incubuerunt, Stesimbrotum quoque operam suam impendisse et per se credibile est et ex illis scriptorum testimoniis perspicue cognoscitur, quae antea perquisivimus. Nam ad istud interpretandi genus referenda sunt ea, quae in Xenoph. Symp. l. c. *τὰ πολλοῦ ἄξια* nominantur, et *αἱ ὑπόνοιαι*, quas rhapsodi ibidem ignorare dicuntur. Quas notiones pro loci sententiarum nexu non p.sse non intelligi de explicandis interioribus ac reconditioribus carminum sensis i. e. de allegorica eorum interpretatione iam supra monitum est. Sed omnem dubitationem Platonis locus tollit (Ion p. 530). Interiorem carminum intellectum, quem Socrates per ironiam vano rhapsodo tribuit, ad illam allegoricae interpretationis rationem respicere non iam est cur exponam. Eundem sensum verba *λέγειν περὶ Ὁμήρου* et *εἰπεῖν καλὰς διανοίας*

περὶ Ὁμήρου habent, sicut Xenophonteum *ὑπόνοιαι*. Neque aliter Lobeckius in Aglaophamo I, p. 157 voces *διάνοια* et *ὑπόνοια* explicat. (Cfr. etiam Heyne comm. Hom. Il. VIII, p. 569). Accedit, idque gravissimi est momenti, quod Stesimbrotus simul cum Metrodoro Lampsaceno, Glaucone aliis in numero eorum habetur, qui multa bonaque sensa de Homero proferre potuerint. Cum enim in eadem cum Metrodoro et Glaucone serie ponatur et ordine, hac in re utrique simillimus fuerit necesse est. Metrodorum autem Lampsacenum *πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν θεραπείαν* Diogenes Laertius testatur II, 3, 7. Eundem utique Hesychius tradit allegorice Agamemnonem *τὸν αἰθέρα* appellasse (vid. Lob. l. c. p. 156). Similiter Tatianus adv. Graec. p. 160 ed. Paris. 1615: *Μητρόδωρος δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἐν τῷ περὶ Ὁμήρου . . . πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγων· κ. τ. λ.* Itaque quin Metrodorus iste ea, quae in Iliade et Odyssea narrantur, ad res naturales referendo physicam i. e. allegoricam interpretationem adhibuerit dubium esse nequit, cuius quidem etiamnunc exempla exstant in scholiis Homericis ed. Vill., ut ad Il. *κ*. 252. Magis disceptatur de Glaucone, quocum Stesimbrotus componitur; parum enim est certum, quis fuerit aut quid effecerit. Quae quaestio eo difficilior est ad diiudicandum, quod plures et Glaucones et Glauci (Sydenhamius sine sufficiente causa *Γλαῦκος* pro *Γλαύκων* corrigendum censet) enumerantur (Vide Indices Fabric. bibl. graec. et Ions. hist. phil. script.). Probabile vero videtur Glauconem nostrum esse illum Teium, quem de tragica sive rhapsodica actione scripsisse Aristoteles confirmat Rhet. III, 1. Muellerus (Plat. Ion, ed. 1782 Hamb.) fortasse Atheniensem esse Glauconem opinatur propterea quod non patriae eius mentio fiat. Res igitur est obscura. Verumtamen hoc veritati convenit, Glauconem in tractando Homero interpretatione usum esse allegorica.

His igitur omnibus perpensis meo iure Stesimbrotum nostrum inter Allegoretas numeraverim. Documentum est huius rei id quoque, quod Stesimbrotus apud Tatianum l. c.

p. 166. cum Theagene Rhegino eundem obtinet locum; ille vero allegoricam Homeri carminum explicationem inchoavit secundum Schol. Ven. ad Il. *v*. 67 (cfr. Nitzsch hist. Hom. I, 131; II, 85). Attamen minime Anaxagorae disciplinae Stesimbrotum addixerim, quemadmodum Lobeckius Agl. l. c. huncque secutus Nitzschius l. c. II, p. 86 volunt. Talis enim opinio omni caret argumento. Nam etiamsi Anaxagoras doctrinae suae rationisque ad philosophiam spectantis multos invenit auditores atque sectatores, tamen num omnes tamquam in verba magistri iuraverint merito ambigas. Immo in hoc ipso studio fabulas Homericas allegorica interpretatione purgandi et excusandi non unam omnes viam ac rationem ingressos esse consentaneum est, scilicet ut novitate sententiarum aliorum animos allicerent atque ingeniorum suorum fertilitatem ostentarent. Ita Stesimbrotum quoque ad Anaxagorae exemplum se composuisse eiusque vestigiis institisse negaverim. Accedit quod ira quadam atque inimicitia noster adversus Periclem simulque Anaxagoram affectus fuisse videtur, ut infra liquebit. Neque vero inde, quod Metrodorus teste Diogene Laertio II, 3, 7 familiari Anaxagorae consuetudine usus eiusque doctrinam secutus est, simile quid de Stesimbroto statuendum est, quamquam hos pari loco haberi vidimus. Communis sane Metrodoro et Stesimbroto allegoricae erat interpretationis ratio, sed in hoc utrumque aut omnes Allegoretas eandem viam iniisse quis tam ineptus est ut contendat? Omnino in nulla de hac re versaremur dubitatione, si ulla adhuc exstarent allegorica Stesimbroti interpretamenta. Quoniam autem horum notitia adeo nos deficit, ut ne id quidem satis clarum sit et exploratum, utrum in explicando Homero physicae prae ceteris an ethicae sive morali doctrinae faverit an utramque inter se miscuerit, missam faciamus hanc rem de qua vix divinare certi aliquid licet.

Neque tamen in mera allegorica Homericorum carminum interpretatione Stesimbrotus acquievit. Nam non solum in aliis eorum locis, in quibus nullus inest allegoricus sensus et vis, explicandis versatus est, ut e fragmentis (vid. II, III, IV.)

elucet, verum etiam de poesi Homeri, de genere et aetate, qua vixerit, disquisivit. Apertis verbis id testatur Tatianus adv. Graec. p. 166, cuius locum compluries laudatum iam apponam: *Περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου, γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου, καθ' ὃν ἤκμασε, προηρεύνησαν οἱ μὲν πρεσβύτατοι Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονὼς καὶ Στησίμβροτος ὁ Θάσιος καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος κ. τ. λ.* Haec Tatiani Eusebius praep. ev. X, 11 excerpsit. Confirmatur Tatiani testimonium etiam alio loco, de quo in fragmentis (fragm. I.) dicendum erit. Stesimbrotus igitur et allegorica sua Homeri interpretamenta et alias de eo quaestiones cum auditoribus s. discipulis suis in scholis, quas mercede habuit, communicasse censendus est. Ita Antimachum hac potissimum in re magistri vestigia pressisse admodum est credibile, quandoquidem eadem atque ille ratione Homerum tractavit eiusque carmina critice pertractata edidit. Quapropter non frustra G. Bernhardius in adnotatione ad Suidam v. *Ἀντίμαχος* suspicari mihi videtur, a Stesimbroto causas studiorum, quae Antimachus in Homero recensendo collocarit, esse disseminatas.

Ex iis, quae uberius disputavi, satis iam puto apparere, quid de ingenio indoleque ac de universa vitae Stesimbroti conditione sit iudicandum. Sophistis adnumerandus est, siquidem honorifico nomine, quale olim erat, eos comprehendimus et sensu latius patente, quo omnes, qui utilem aliquam artem profiterentur, *σοφιστοῦ* nomine designabantur (Cfr. Meiners hist. litt. I, p. 102 sq.). Verum minime noster inter humillimos ac maxime contemtos homines referri debet ea de causa, quod doctrina usus est ad pecuniam sibi comparandam. Reputandum enim est, hunc morem illo tempore Athenis adeo fuisse vulgatum et quasi natum ex Atheniensium civitatis statu, ut neque aliis neque Stesimbroto vitio possit verti. Quid? quod Zenoni Eleatae, ut de aliis taceam, cum inter discipulos suos haberet nobilissimos iuvenes, pro ipsius praeceptis centum minas Pythodorus et Callias solvisse perhibentur a Platone Alcib. I p, 119 a (De hoc pecuniae exi-

gendae more cfr. Welcker „Prodicos von Keos“ in Nov. Mus. Rhen. I, 1 (1832) p. 30 sqq.). Neque enim famosam illam avaritiam, ob quam sophistae plerumque notantur, Stesimbroto tribuendam puto, quemadmodum omnino eius conditionem ab eorum, qui vulgo sophistae habentur, humili ratione recedere vidimus. Atque hanc ipsam ob causam noster separandus est ab iis, qui per Graeciae urbes vagabantur quaestus gratia; certe nullum eius rei documentum de illo invenitur. In universum autem omnia vitia, propter quae plurimi sophistarum in summam venerunt contemtionem, in Stesimbrotum conferre velle aeque stultum est atque iniustum, quia non pari cum istis eum loco habendum esse ostendimus neque ullum eiusmodi vitii vestigium exstat. Quocirca meo quidem arbitratu non recte C. Fr. Hermannus (ind. lect. aest. Marb. 1836 p. VIII) Stesimbrotum adiungit iis sophistis, „qui tum temporis per Graeciae urbes vagabantur neque uni alicui literarum generi sedulam et peculiarem operam navabant, sed ingeniorum fertilitate freti, quidquid occasio tulisset, pari cum levitate atque arrogantia tractabant.“ Tale de nostro iudicium omni veterum testimonio destitutum neque iis, quae de nostro comperta habemus, accommodatum est. Contra Stesimbrotum Athenis grammaticis studiis incubuisse et in Homeri potissimum operibus tractandis operam suam collocasse satis superque est monitum. Num aliorum quoque poetarum, ut Hesiodi, Archilochi, carminibus operam suam adverterit, incertum est, sed non prorsus incredibile. Magnam vero famam Stesimbrotum disciplina sua atque doctrina consecutum esse inde patet, quod et nominis eius saepius mentio fit et Niceratus atque clarissimus Antimachus Colophonius inter eius discipulos fuerunt.

Postquam igitur de universa Stesimbroti conditione et indole, quantum fieri poterat et debebat, disseruimus, nemo, opinor, cum Kreusero (Hom. Rhaps. p. 42, aliis locis) adeo consentiet, ut Stesimbrotum una cum Metrodoro et Glaucone in numero vilissimorum rhapsodorum ponat, qui ingenio nihil sapientes quotidie in triviis, praecipue autem in gymnasiis

magna cum ostentatione iactantiaque nec minore stultitia poetarum, imprimis Homeri carmina in publico declamitabant additis interdum ineptissimis suis explicationibus, quales sophistae ab Isocrate Panath. p. 392 (ed. Lange 1803) describuntur. Omnino enim Kreuserus eo vehementer erravit, quod nullo temporum rationis respectu habito omnes omnis aetatis sophistas inter se simulque cum rhapsodis confudit atque hos quoque universos summis affecit contumeliis. Quam manifesto perversam sententiam refutare velle et longum est neque huius loci, atque supersedere hac re licet propterea quod accuratissime explanata est a Nitzschio de hist. Hom. melett., qui idem l. c. II, p. 108 sqq. de Kreusero recte in universum mihi videtur iudicare.

Haec fere sunt quae de Stesimbroto narrari possint. De eius ingenio et virtutibus vel vitiis plura nos loqui iure exspectares, si aut integra ad nos pervenissent eius opera aut frustula eorum fragmentaque tam essent multa, ut ex his certi aliquid de auctore statui posset. Verum quae ex reliquiis eius suspicari possumus, si in has inquisiverimus, suis quaeque locis dicentur. Iam igitur pro instituti et suscepti ratione de iis, quae ex operibus eius exstant, cum cura diligentiaque disputandum est.

Poetam fuisse Stesimbrotum quemadmodum Panyasin, Antimachum, alios, quia nullam prae se fert firmam auctoritatem, omittamus. At vero Homeri carminibus explicandis nostrum operam dedisse supra vidimus. Litteris autem num eiusmodi quaestiones Homericas mandaverit, nondum in aperto est. Sed ex Tatiani illo loco, quem iam saepius laudavi, colligendum videtur de Homero librum composuisse Stesimbrotum, cum l. c. de illius poesi, genere atque aetate egisse tradatur. Verumtamen dubitatio oritur, an peculiari opere Homericas tales quaestiones instituerit. Forsan quispiam opi-

netur grammaticum quendam istum librum fuisse vel alium eiusmodi, ubi hic illic, ut occasio tulerit, Homerum tractaverit sive locos eius explicando sive emendando. Sed quomodo Heynius (comm. Hom. Il. VIII, p. 571) statuere possit in historico opere Stesimbrotum illud fecisse videri, non capio. At cur non peculiarem de Homero libellum noster scripserit? Certe si ad Metrodori aliorumque rationem nostrum exigimus, permagnam habet veri speciem, singulare eum de Homero opus composuisse. Quoniam vero Metrodorus *περὶ Ὁμήρου* scripsisse a Tatiano l. c. p. 160 traditur, Stesimbroti quoque, utpote illius simillimi, librum *περὶ Ὁμήρου* inscriptum fuisse haud inepte iudicaverim. Sydenhamius quidem e Tatiano l. c. p. 166 suspicatur *περὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου* inscriptionem fuisse, sed quo iure, me non videre fateor cum M. G. Muellero (Plat. Ion ed. 1782, p. 13). — Quod Tatianus Stesimbrotum de genere Homeri quaesivisse refert, egregie confirmatur eo fragmento quod iure primo loco ponendum videtur (fr. I.). Quippe Smyrnaeum noster Homerum vocat. Diversa veterum de patria poetae testimonia percensere nihil attinet. Nobis, ut Stesimbroti auctoritas appareat, paucis est dicendum, qui alii scriptores cum eo in ista re faciant. Iam in Homerico ad Cumaeos carmine Aeoliam Smyrnam Homerus matrem suam nuncupat (cf. Welcker ep. cycl. p. 142). Etiam Pindarus in loco deperdito Smyrnae poetam assignaverat, quamquam idem Pindarus alio loco (fr. I.) Chium eum appellasse traditur (cfr. Welck. l. c., Nitzsch hist. Hom. II, p. 94). Scylax quoque cum Stesimbroto consentit (Welck. l. c.). Smyrnae calculus etiam ea re adiicitur quod Melesigenes, Meletis filius Homerus saepe audit (cfr. Allatius de patr. Hom. in Gronov. Thes. Graec. Ant. Vol. X.). Smyrnam Homeri patriam fuisse etiam Aristides testatur orat. 22, cuius locos vide apud Fabricium bibl. gr. IV, p. 382, p. 401 coll. I, p. 330 ed. Harl. Denique Ioannes Tzetza cum Stesimbroto convenit; verba eius Fabricius l. c. I, p. 330 H. affert. — Stesimbroti igitur de patria Homeri opinio non est spernenda.

Praeter hoc unum de Homero testimonium tria tantum interpretationis Homericae exempla in scholiis Ven. exstant.

Satis subtiliter explicat (fr. II.), cur Nestor imprimis Il. XI, 636 senex grande poculum facile tollere dicatur, cum alii non potuerint. Etenim verbis poetae: *ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης, πλεῖον ἐόν* (scil. *δέπας* v. 632), *Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν* magnam vim et robur senis designari non inepte putat, ita quidem, ut liqueat, quantus vigor iuvenis Nestoris fuerit. Talis explicandi ratio sanam haud dubie interpreti mentem vindicat (cfr. Heyne ad h. l.).

Minus perspicuum est quid Stesimbrotus verbis (Il. XV, 193) *γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ καὶ μακρὸς Ὄλυμπος* fecerit (fr. III.) An, quod scholiasta dicit eum ita divisisse, respicit ad eius interpretationem, quomodo poeta dicere possit: *γαῖα δέ τι ξυνὴ καὶ μακρὸς Ὄλυμπος*? Sed si ita noster hunc locum accepisset, sane hariolatus esse videretur; nam quo modo verba dividere potuerit *γαῖα δέ τι ξυνῆ*, non assequor. Quapropter scholii verba *Κράτης . . καὶ Στησίμβροτος οὕτως δέδασται* manca esse et mutilata Heynio assenserim.

Mira sane eius loci (Il. XXI, 76) explicatio est, quo supplex Lycaon, Priami filius, Achillem mulcere studet: *πὰρ γὰρ σοὶ πρώτῳ πασάμην Δημήτερος ἀκτήν* (fr. IV.). Nimirum nimis longe repetitam, immo ineptam fere horum verborum Stesimbrotus affert causam, si declarat barbaros (Troianos) non edere *ἄλφιτα*, ideo Lycaonem illa loqui. Suo igitur iure scholiasta nostrum hoc loco reprehendit.

Hae sunt Homericorum Stesimbroti studiorum reliquiae, pauciores profecto quam ut sufficiant ad certam de illo opere sententiam ferendam. Sed vidimus etiam nugas nostrum in explicando Homero protulisse, et saepius eum tali modo peccasse veri est simile. Neque tamen ideo omnino temere et sine iudicii subtilitate atque acumine Homerum tractasse putandus aut inertiae socordiaeque arguendus est. Nam optimus quoque interpres interdum errat. Deinde autem in aperto est Stesimbrotum non in allegorica explicatione se continuisse; potius illa quae exstant interpretamenta omnino non redo-

lent allegoriam. Verum quin hanc imprimis noster amplexus sit non iam licet dubitare. Quodsi tamen, ut Fabricius quidem affirmat bibl. gr. I, p. 524 H., Iacobus Duportus praef. ad Gnomologiam Homericam contendit physiologiam Homericam Stesimbrotum scripsisse, mera niti videtur coniectura. Certe ex iis quae nos de Stesimbroto scimus, ne id quidem patet num ad physicam doctrinam mythos revocarit an ad ethicam an allegoriarum genera inter se coniunxerit.

Stesimbrotum in quaestionibus Homericis allegoricae explicationis rationem secutum esse fidem facit symbolicae cum illa artissime cohaerentis et quasi cognationis vinculo coniunctae usus, qui manifesto in alio opere componendo valuerit necesse est. Scripsit enim Stesimbrotus etiam de initiis sive mysteriis. Nostrum vero eum fuisse cui hoc opus tribuendum sit non potest in disceptationem venire. Namque hoc non solum ex iis consentaneum fit quae supra de universa hominis conditione et indole comperimus, verum etiam eo evincitur quod Stesimbrotus, auctor illius haud dubie libelli, Thasius appellatur a Strabone X, p. 472 (vid. fr. VI.). Atque hoc opus inscriptum fuit *Περὶ τελετῶν*, quemadmodum apertis verbis Etym. M. v. *Ἰδαῖοι* (p. 465, 30) docemur: *Ἰδαῖοι . . . Στησίμβροτος δὲ ἐν τῷ Περὶ τελετῶν . . . λέγει* (vid. fr. V.). Voce *τελεταί* initia s. mysteria significari non est quod exponam. Itaque quaeritur de quibusnam mysteriis noster illum librum composuerit. Neque haec res eum, qui aliqua ex parte theologiae Graecorum mysticae gnarus est, latere potest. Etenim de Samothraciis cogitandum esse mysteriis mentio Idaeorum, Idaeorum Dactylorum (Etym. M.) et Cabirorum, Corybantum, Samothracae denique ipsius (Strab. l. c.) manifesto comprobat, cum haec numina ad Samothracum mysteria pertinere hodie constet. Quod Samothracia sibi sumsit illustranda non est mirum. Quippe Thasus insula satis prope Samothracen sita et cum hac commercio coniuncta notitiam habuit illorum mysteriorum et plurimi incolae his

sine dubio erant initiati. Verisimilius hoc videtur eo quod in ipsa insula Thaso etiamnunc vera vetustissimi Cabirorum cultus eiusque in Samothraciis gravissimi vestigia inveniuntur (cfr. Creuzer Symb. II, p. 347; C. O. Mueller Orch. u. d. Min. p. 452) sicut etiam Idaeorum Dactylorum (cfr. Hoeck Creta I, p. 326). Satis igitur erat causae cur Stesimbrotus de Samothraciis ageret mysteriis sive popularium suorum gratia, sive, cum praesertim illa praeter Eleusinia omnium nobilissima sanctissimaque essent (cfr. Aristid. Panath. p. 189), praecipue Atheniensium gratia, apud quos illa belli Peloponnesiaci aetate imprimis celebrabantur (cfr. Neuhaeuser Cadmilus p. 122.). Cum igitur nostrum ut Thasium egregie Samothracia mysteria tractasse credibile sit, sane est dolendum quod ex hoc eius libello perpauca tantum fortuna servavit. Nimirum si integer ille aut maiorem partem exstaret, plurimum lucis afferret obscurissimae illi de Samothracum mysteriis quaestioni. Ipsa fragmenta multas et magnas praebent difficultates (cfr. etiam Lobeck. Agl. p. 1157 sqq.).

Primum locum obtinere debet illud in Etym. M. fragmentum una cum eo quod scholiasta ad Apoll. Rhod. Arg. I, 1126 exhibet (fr. V.). In utroque enim Stesimbrotus de origine Idaeorum Dactylorum loqui traditur, ita quidem ut alter, quae de iis profert, ex altero, aut uterque ex eodem fonte hausisse censendus sit. Diversas de Dactylorum origine et nominis interpretatione sententias examinare non est huius loci. Sed opus est exquirere quo modo ea, quae lexicographus et scholiasta diversa Stesimbroto tribuunt, inter se sint concilianda; id quod iis, qui adhuc hanc rem susceperunt, parum successit. Etymologici verba: *Στησίμβροτος δὲ . . . λέγει φησὶν ὅτι . . ἐς τουπίσω* corrupta esse patet; nam quod verba *φησὶν κ. τ. λ.* nulla interposita coniunctione iis quae antecedunt adnectuntur, nulla ratione potest ferri propterea quod istis *φησὶν κ. τ. λ.* antecedentia non illustrantur (si hoc fieret, asyndeton recte haberet), sed manifesto altera et diversa quidem Dactylorum originis explicatio adiungitur, ita ut anceps et controversum oriatur Stesimbroti testimonium.

Recte igitur Lobeckius Agl. p. 1158 statuit inter verba φησί et λέγει aliquid excidisse, et Muellerus ad h. l. bene post λέγει lacunam indicavit. Verum coniunctio καί evanuit an nomen diversi a Stesimbroto auctoris? Equidem locum nostrum ita enodandum censeo ut verba φησὶν ὅτι — εἰς τουπίσω non minus quam quae antecedunt Stesimbroto tribuantur (Videtur sententiae meae Freretius favere, quem quidem Welckerus Aesch. Tril. Prom. p. 179 adn. 264 dicit verba Etym. *M.* φησὶν ὅτι κ. τ. λ. et schol. Ap. καὶ ὅτι κ. τ. λ. Stesimbroto non recte tribuisse. Qua in re a Welckero dissentio). Etenim mea opinione Stesimbrotus in illo de Samothracum mysteriis libello, cum de origine et nomine Idaeorum Dactylorum ageret, haud dubie diversas iam antiquitus de hac re sententias ut par erat protulit nullam fortasse pro certa venditans quoniam res erat obscurissima. Ita demum assequor, qua ratione scholiasta Apollonii et lexicographus utramque explicationem ad eundem Stesimbrotum referre potuerint. Tali modo si utriusque loci difficultates expedimus, in aperto est error Apollonii eiusque scholiastae, quippe qui manifesto duas diversas Dactylorum notiones inter se confuderint Phrygios et Cretenses inter se non distinguendo. De vera Dactylorum patria Apolloniique in hac re errore cfr. Hoeck l. c. I, p. 276 sq.; quid Stesimbrotus de illa senserit, ob paucitatem eius reliquiarum diiudicari nequit.

Ex nostra igitur explicatione omnis difficultas, quae in utroque Stesimbroti fragmento inest, tollitur. Namque in Etym. loco post λέγει particulam καὶ vel potius fortasse ἔτι δέ (propter similitudinem subsequentis ὅτι nescio an negligentia omissum) vel aliam eiusmodi intercidisse veri est simillimum. Ita nullam habet vim quod Lobeckio incommodum videtur, „Iovis filios dici eos, qui ab eo non progeniti sed iussu eius e terra ipsa exorti sunt.“ Contra diversi a Stesimbroto auctoris nomen inter λέγει et φησίν evanuisse, quemadmodum Lobeckius et Muellerus censent, cogitari vix potest propterea quod eadem Stesimbroto assignat scholiasta, qui, ut Lobeckius concedit, incredibiliter errasse putandus

esset. Neque, ad scholiastae testimonium quod attinet, quidquam est in lectione quo offendaris, quoniam nihil inter εἴληφε et καὶ desideratur. Quapropter mea quidem sententia non recte Keilio (Apoll. Rh. ed. Merkel) „lacunam inter εἴληφε et καί indicare videtur E. M. p. 465, 30.“ Unde autem factum sit ut scholiasta Apollonii tam diversa inter se coniungeret, facile liquet. Poeta enim (cfr. etiam Weichert Leb. u. Ged. d. Apoll. Rhod. p. 231) varias quas Stesimbrotus de Dactylis attulisse credendus est sententias inter se non discernens Phrygios Dactylos et Cretenses inter se miscuit, neque aliter eius scholiasta. Sic etiam Anchiale nympha et Oeaxis terra et dictio δραξαμένη τῆς γῆς haud dubie e Stesimbroto petitae sunt, qui tamen illam alio atque Idam nympham loco habuit. Ceterum cum Apollonii verbis cfr. Diomedem III, p. 474 Putsch. et Varronem apud Servium ad Virg. Ecl. I v. 66; de quibus locis vide Lobeck l. c.

Etiam id Stesimbroti de mysteriis libelli fragmentum, quod apud Strabonem l. c. invenitur (fr. VI.), obscurum atque a doctis viris vexatum est. Certe autem Stesimbrotus hoc loco id confirmat, sacra quae in Samothrace insula fiant i. e. Samothracum mysteria in Cabirorum honorem fieri, hos autem nomen habere a Cabiro, Berecynthiae monte. Cum Stesimbroto in illa re consentit Herodotus, testis locupletissimus, qui illa mysteria aperte Καβείρων ὄργια vocat, II, 51. Praeterea Mnaseas et Dionysodorus imprimis testantur ad Cabiros deos referenda esse Samothracum mysteria. Etiam Plutarchus de Samothraciis diis loquitur, οὓς Καβείρους ὀνομάζουσιν (Vit. Marcell. c. 30). Cfr. Neuh. l. c. p. 30 sq. Itaque Stesimbrotus prae contraria Demetrii Scepsii sententia (Strabo l. c.) maximam habet auctoritatem. Omnino autem, etiamsi inter nostros quoque homines praecipue Welckerus num Samothraces dii in Cabirorum numero habendi sint vehementer dubitavit (Aesch. Tril. p, 157 sq. p. 222 sq.), id hodie constat, Samothracen celeberrimam Cabiricae religionis sedem Cabirosque ipsos in mysteriis cultos fuisse. Argumenta, quae contra hanc sententiam Welckerus protulit, diligentissime Neu-

haeuserus l. c. p. 5 sqq. refutare studuit. Sed cfr. praeterea Lobeck Agl. p. 1246. Recte hic, ut id commemorem, l. c. p. 1216 O. Muelleri (Prolegg. z. Myth. p. 150) coniecturam, qui pro Καβείρων substituit Κουρήτων, improbat nec minus bene idem p. 1217, reiecta mutatione Xylandri pro ὁμοίως καί poscentis ὅμως καί, vulgatam librorum lectionem ὁμοίως καί defendit et retinet.

Stesimbrotus a ratione eorum recedit qui nullum discrimen inter Cabiros, Corybantes, Dactylos, Telchines, Curetes intercedere arbitrantur. Etenim cum in Cabirorum honorem Samothracia mysteria celebrari dicat, sine dubio magnos eos intelligit deos, quorum ministri tantum et paredri Corybantes et reliqui sunt. Id iam Lobeckius perspexit l. c. Itaque etiam Stesimbrotus τὰς μυστικὰς πράξεις et τὸν μυστικὸν λόγον ad Cabiros retulerit. Cui sententiae cur Demetrius Scepsius adversetur, in tanta brevitate et obscuritate loci vix cognoscas. Enimvero eum, qui eiusmodi mythos congessisse expressis verbis a Strabone perhibetur, illam rem exploratam habuisse consentaneum videtur. Sed quoniam varia Cabirorum notio iam apud veteres Graecos ut interpretes in diversas abirent partes effecit, rem cum Neuhaeusero (l. c. p. 109) ita enucleaverim, „Demetrium, cum aliorum (Neuh. Lemniorum) Cabirorum notionem animo concepisset, hos autem inter Samothracum deos non reperiret quippe Cabirorum mysteriis, ut ex fluctuanti eius sententia colligi potest, non initiatus, exteriora magis quam interiora secutum putasse Samothracum deos non esse Cabiros.“ Cfr. etiam Welcker Aesch. Tril. p. 235 adn. 421. Sed errat Welckerus l. c. quod voce ἐκεῖνος Demetrium Scepsium designari contendit; nam si Scepsius diceret Cabiros nomen habere a Cabiro monte, ἐκεῖνος mea opinione locum habere non posset, praeterquam quod totus sensus vetare videtur his verbis de Scepsio cogitari. Neque quisquam adhuc, quod sciam, hac in re a Welckeri parte stat. Itaque Stesimbrotus tradit Cabiros appellari a Cabiro, Berecynthiae monte. Verum cur Neuhaeuserus l. c. p. 24 adn. 1 multo veri similius esse censeat e contrario montem a Ca-

biris in hac regione cultis nominatum esse, non video. Quippe saepenumero numen aliquod divinum a loco, sive urbe, sive flumine, sive monte, nomen accepit, veluti Rhea „Cybele“ a Cybelo, „Dindymea“ a Dindymo, „Berecynthia“ a Berecyntho (cfr. Creuzer Symb. II, p. 36 sq.). Quamquam plerumque ita fit, ut Neuhaeuserus vult. Sed vetusto Stesimbroti dilucidoque testimonio non est cur diffidamus. Cabirus mons in universum est ignotus. De eo vide quae Lobeckius l. c. p. 1216 adn. dicit. Procul dubio mons ad Phrygiam revocandus est (cfr. Serv. ad Virg. Aen. VI, 785 coll. Strab. XII extr.), ut etiam nomen Berecynthiae docet. Latissime autem antiquissimis temporibus Phrygia patuit ita ut etiam Pontica urbs Cabira (cfr. Creuzer l. c. II, p. 313) ad ipsam pertinuisse videatur. Stesimbrotus igitur, quia Cabirorum nomen a Phrygiae (Berecynthiae) monte derivat, inter Samothraces deos Rheam Phrygiam s. Rheam Cybelen numeraverit, cum alii Axierum habeant Cererem. Sed Ceres, Magna Mater, Rhea Phrygia, numina sunt tam inter se cognata et similia ut fere nullum inter ipsa discrimen statui possit.

Ex hoc de quo agitur Stesimbroti de mysteriis libello haud dubie desumtum est etiam id fragmentum, quod Etym. M. v. *Διόνυσος* et apud Tzetzam ad Lycophr. p. 42 exstat (fr. VII.). Dionysum enim in illis mysteriis cultum esse iam per se admodum est credibile quia ille deus cum Rhea Cybele, sive Magna Matre sive Cerere, natura sua tam arte est coniunctus ut ab huius deae cultu, praecipue in mysteriis, non sit separandus; ipsam vero in his eximium venerationis locum obtinuisse non est cur demonstrem. Sed Dionysus etiam in Cabirorum numero habitus est ut certa veterum testimonia comprobant. Axiocersus, quem Mnaseas tertium exhibet Cabirum, Hades est et hic quidem pro Heracliti Ephesii auctoritate idem atque Dionysus (Heraclitus ap. Clem. Alex. Protr. p. 30 P.). Scholiasta Apoll. Rhod. I, 917 refert a nonnullis duos haberi Cabiros, Iovem et Dionysum. Eadem fere verba in Etym. M. et Gud. v. *Κάβειροι* leguntur. Etiam apud Ciceronem (N. D. III, 23) tertius Cabiri

filius vocatur Dionysos. Clemens Alexandrinus Protr. p. 16, ubi de Cabirorum et Corybantum mysteriis loquitur, tertium Cabirum aperte Dionysum appellat. Cfr. Neuh. l. c. p. 40 sq. 46 sq.; Schelling, Gotth. v. Sam. — Schell. Werke Abth. I T. VIII p. 349, 356 sqq. Quare dubitatio oriri nequit num fragmentum nostrum (VII), ubi Stesimbrotus etymologiam Dionysi nominis profert, ex eius de mysteriis opere petitum sit. Ad nomen dei ipsum quod attinet, noster Διόνυξον formam accepit, quam quidem non subtili ratione allegorica sed ad vulgarem fidem magis accommodate explicavit.

Ad eundem de mysteriis librum, ut mea quidem fert sententia, scholiastae Apoll. locus pertinet, ubi Herculis mentio fit (fr. VIII.). Hercules a Stesimbroto traditur Boreadas (cf. Apoll.) interfecisse propter simultatem, quae ipsi cum iis intercesserit ob dona ab Iasone data. Iam ipsa Boreadarum notio ad septentrionalem aliquem cultum ducit et quodammodo ad arcana Samothracum sacra. Atque in his de Hercule quoque sacrum quendam sermonem ipsumque celebratum fuisse eo probabile fit quod cum Cabiris componitur. Qui tamen Hercules manifesto non posterior est Graecorum heros sed ille orientalis qui apud Aegyptios, Phoenices, Phrygios in summo erat honore et una cum Cabiris in Samothraciam venisse putandus est, quibus etiam adnumeratur (cfr. Creuzer l. c. II, p. 309, 310). Sic etiam Thasii Herculem venerabantur, et hic quidem Hercules in Cabirorum numero erat (cfr. Creuzer l. c. II, p. 218, 219 sq.), „Idaeus Hercules" (l. c. p. 22). De quo Hercule cfr. Lobeck. Agl. p. 1169. Quin ille Hercules unus ex filiis Anchialae nymphae vocatur et cum Attine confunditur. Denique Cicero N. D. III, c. 16 inter sex Hercules, quos fuisse dicit, tertium testatur esse ex Idaeis Dactylis, „cui inferias offerunt". (Cfr. etiam Welcker Aesch. Tril. p. 178 adn. 259.) Itaque in Samothracum mysteriis Hercules ille una cum ceteris numinibus videtur cultus esse. Quocirca fragmento nostro non iniuria hunc locum tribuerim. Sed liquet posteriorem Graecorum Herculem pro Apollonii loco ab orientali illo non secerni putandum esse;

quod iste cum Argonautis ceteris profectus ad Samothracum mysteria refertur. Attamen hoc non potest esse mirum, quia Argonautae ab illis mysteriis haud ita alieni habebantur, veluti etiam Aeschylus in deperdita fabula *Κάβειροι* Cabiros cum Argonautis convenientes fecit (cfr. Lobeck l. c.), et Orpheus atque Argonautae, Hercules quoque et Ulixes Samothracum mysteriis initiati esse narrantur (cfr. Schelling l. c. p. 348; Diod. Sic. V, 49; Orph. Arg. 465; Apoll. Arg. I, 915).

Etiam ea quae a Suida, Photio, Apostolio et Arsenio de proverbio *τυφλότερος ἀσπάλακος* commemorantur Stesimbroto tribuenda, in eodem de mysteriis opere locum obtinuisse censeo (fr. IX.). Tale fragmentum potius sane ad historiam naturalem vel aliud eiusmodi opus videtur referendum esse quam ad illud ubi de mysteriis agitur. Sed non video, cur illam proverbii explicationem ex ignoto aliquo libro desumtam esse statuere malis, cuius ne unum quidem invenitur vestigium. Nempe quin eidem de mysteriis operi eam assignemus nihil impedit, immo res summam prae se fert veri speciem. Ut enim in Eleusiniis mysteriis, ita in Samothraciis cultus deorum Cabirorum plane erat arcanus, cum Samothracibus imprimis maxima esset cura prorsus eum occultandi (cfr. Neuhaeuser p. 121 sq.). Praecipue ii qui mysteriis initiabantur, *οἱ μύσται*, ne diras et arcanas res aperte adspicerent, haud dubie obvelatis oculis, tamquam c a e c i ad ea cognoscenda admittebantur. De hac igitur re mea sententia Stesimbrotus verbis *τυφλότερος ἀσπάλακος* videtur usus esse, quippe quae ut tritum omnibusque notum proverbium eam significantius exprimerent. Ita cum ad illustrandam suam rem tale proverbium adhibere posset, facillime etiam causam et explicationem eius adiicere potuit, quamquam haec proprie ad illud de mysteriis opus non pertinuit; nec dissimilis est ratio in fragm. VII et VIII.

Perpaucae sunt hae Stesimbroti de mysteriis libelli reliquiae, quas tractavimus. Quod plures fortuna nobis invidit est dolendum. Nam etiamsi pro sanctitate mysticarum rerum omnia Stesimbrotus memoriae prodidisse non censendus est,

tamen multa, quae ad cultum Cabirorum spectant quaeque summa cautione a profanorum cognitione arcebantur (Diod. Sic. V, 49, ib. 48 et 77), illo opere sine dubio promulgavit. De quo accuratius disputare nobis non licet. Ceterum, ut hoc unum addam, quamquam symbolicae explicationes in paucissimis illis fragmentis non insunt, inde non sequitur istis omnino Stesimbrotum abstinuisse. Quippe eas in eiusmodi opere non potuit negligere.

Venimus iam ad tertium ab utroque illorum longe diversum opus, quod Stesimbrotum nostrum composuisse constat. Elaboravit enim in conscribenda suae aetatis historia, cuius complures ad nos pervenerunt reliquiae. Scripsit libellum de Themistocle et Thucydide et Pericle, ut nominatim laudatur ab Athenaeo XIII, p. 589 D. E (cfr. fr. XVIII.): *Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους*. Cuius universam rationem atque indolem pro certo statuere vix operis possis. Sed tamen omnibus quos Plutarchus ex eo affert locis diligentissime explanatis et inter se comparatis iudicium de eo ferre non dubitaverim. Verum in hac re admodum caute est agendum, quoniam Plutarchus Stesimbroto parum fidei tribuit et inter recentiores multos habet asseclas. Contra equidem persuasum habeo Stesimbrotum multo maiorem fidem atque auctoritatem mereri quam adhuc invenit. Iam igitur singula historici operis fragmenta ex ordine percenseamus.

Stesimbrotus Themistoclem dicit Anaxagorae auditorem fuisse et Melisso physico operam dedisse (fr. X.). Quapropter a Plutarcho reprehenditur quod temporum male rationem habuerit; Periclis enim aequalem fuisse Melissum, cum hic contra illum bellum gesserit, Anaxagoram autem cum Pericle conversatum esse. Sed hanc Stesimbroti narrationem, quam Plutarchus improbat, cum temporum ordine conciliare iam Muellerus fragm. l. c. p. 53 studuit, quocum in hac re

consentio. Testibus enim Demetrio Phalereo et Apollodoro (Diog. Laert. II, 3, 3) Anaxagoras Athenis docere coepit Ol. 75, 1. Itaque puer ut Themistocles cum Anaxagora versaretur fieri non potuit; neque veri simile esset secundum ea quae de Themistoclis pueritia nota sunt. At cur non inde ab Ol. 75, 1, ex quo Anaxagoras Athenis docuit, hunc Themistocles audierit? Mihi quidem Stesimbroti testimonium a veritate omnino non videtur recedere. Namque admodum est credibile, ne dicam fere certum, Themistoclem, cum Salaminia victoria summam nactus esset gloriam, si non doctrinae at merae ostentationis causa et ad civium favorem sibi augendum etiam iis studiis, quae tum apud omnes plurimum valere coeperant, se dedisse et Anaxagorae novae et insolitae philosophandi rationi tantum quidem operae navasse ut eum audiret docentem, id quod omnes nobiliores Athenienses faciebant. Ita Themistocles, qualibuscunque causis commotus, inde ab Ol. 75, 1 usque ad Ol. 76, 4 (hoc enim anno eum patria expulsum esse veri simillimum videtur) *Ἀναξαγόρου διακοῦσαι* potuit. Neque Melissi aetas a Stesimbroti narratione abhorret. Apollodorus quidem (Diog. Laert. IX, 4, 4) testatur illum floruisse Ol. 84. Sed ut Muellerus probabiliter opinatur, hanc potissimum posuit Olympiadem, quod ea vitae Melissi epocha, qua Samum contra Periclem defendit, omnium erat notissima. Quodsi autem tum provectum iam aetate eum fuisse statuimus (septuaginta annos vixisse traditur et teste Diogene Laertio (IX, 4, 1) in colloquium venit cum Heraclito, qui circa Ol. 69 clarus habitus est (Diog. Laert. IX, 1, 1) — Muellerus dicit: quadraginta annos *σοφιστεύσας* Melissus), optime eodem iam cum Anaxagora tempore Athenis scholas habuisse et Themistocle usque ad Ol. 76, 4 auditore usus esse censeri potest. Quocirca Stesimbroto credere nulla re vetamur. Contra neutiquam hac quidem in re fidem Stesimbroto denegaverim, quippe quem, utpote Themistoclis fere aequalem, eiusmodi rem fictam et a vero prorsus alienam Atheniensibus suis et Themistoclis fere aequalibus narrasse nullo modo mihi possim persuadere. At vero

Plutarchus in chronologicis praecipue rebus saepius erravit (cfr. Mueller l. c.).

Quae paulo post Plutarchus dicit: Ἃ δὲ τούτων . . . κατεψεῦσθαι, ad Stesimbrotum quoque haec respicere, Wichersio et Sintenisio assentior (vid. fr. X.). Quippe eiusmodi argumentum universae Stesimbroti operis naturae plane convenit, ut infra dilucidius intelligetur. In illis verbis sermo est de Themistoclis per patrem abdicatione et matris hac re dolentis voluntaria morte. Eadem illa testantur Corn. Nepos Them. c. 1 (exheredatum hic vocat Themistoclem); Aelianus v. h. II, 12; Suidas v. ἀνεῖλεν et ἀποκήρυκτον; Valerius Maximus VI, 9, 2 et loci, quos ibi Kempfius ed. Val. Max. citat. Plutarchus hanc rem fictam habet et commenticiam, sed causam non addit. Attamen talis res cum pessimis adolescentis Themistoclis moribus, quem maximis vitiis obrutum et imprimis liberaliore vita et prodigalitate infamem fuisse constat, mirum quantum quadrat. Quare non est cur ista Stesimbroti, Themistoclis fere aequalis, narratio reiiciatur prae Plutarchi testimonio, cum hic et post tam longum temporis intervallum vixerit et laudator sit illustrium suorum virorum. Sintenisius iure Plutarchum de abdicatione Themistoclis dubitasse l. c. monet idque confirmari iis, quae nonnullis locis (Plut. Them. c. 25, Comp. Arist. c. Cat. c. 1 et a Critia apud Aelianum v. h. X, 17) de re familiari illius referantur. Sed hoc parum mea sententia valet. Etenim etiamsi abdicati paternorum bonorum expertes fuerunt (cfr. Meier att. proc. p. 433 — ideo Corn. Nepos „exheredatum" Themistoclem dixerit), tria fere talenta Themistocles postea facile possidere potuit, quoniam in patris gratiam (sic nescio an explicari possit Aeliani locus X, 17, ubi πατρῷα οὐσία Themistoclis memoratur), redire ipsi licuit (cfr. Petit legg. Ath. II, 4, p. 158). Aut etsi exheredatus, Themistocles in omnibus dolis versatus atque omnino in opibus comparandis summa usus dexteritate (cfr. praeter alios locos Plut. Them. c. 21), non dubito quin facillime tria fere talenta quovis modo conquirere potuerit.

Quae proxime collocanda sunt, spectant ad rem, quam praeter solum Stesimbrotum nullus scriptor memoriae prodidit (fr. XI.). Tradit ille Miltiadem Themistocli obstitisse suadenti ut naves aedificarentur. Quod soli Stesimbroto hanc narrationem debemus, non est causa cur sit reiicienda. Multa enim etiam illius temporis satis obscura sunt et clariorem desiderant lucem. Neque vero ista res, si ad historicam fidem exigitur, dubitationem movet. Etenim iam ante pugnam Marathoniam Themistocles Atheniensibus consilium dedit magnae classis aedificandae ad bellum cum Aeginetis gerendum (de his navibus cfr. Herod. VI, 89). Atque hac in re, ut mea quidem fert opinio, Miltiades instans Persici belli periculum veritus Themistocli maiora molienti haud dubie obstitit cum ipse suam gloriam terrestribus copiis quaereret. Eiusmodi aemulationem et politicam, ut ita dicam, simultatem inter Miltiadem et alios cives intercessisse inde elucet quod ille e Chersonese redux in iudicium vocatus est (cfr. Herod. VI, 104; Wachsmuth Hell. A. I p. 574 ed. II.). Aut vero etiam paulo post Marathoniam pugnam ut Themistocles naves exstrui iuberet, Miltiades repugnaret fieri potuit. Quippe Themistocles gloriosa praesertim Persarum clade incitatus quemque Miltiadis tropaea dormire non sinebant, pro summo gloriae studio Atheniensibus illud consilium mox dederit sive ad Persas persequendos, sive omnino non periculum aversum sed Marathoniam victoriam initium maiorum proeliorum esse ratus (cfr. Plut. Them. c. 3 extr.; Curtius H. G. II, 28 et (p. 687) adn. 11.) atque hoc consilium postea quidem effecit. Utut res se habet, Stesimbroti ista narratio satis est digna quae fidem inveniat. Quare iniuria Wachsmuthius de nostro Stesimbroti loco dubitat l. c. adn. 44, neque ipse causam dubitationis affert. Illo autem tempore, de quo diximus, Themistoclem iam adeo adultum fuisse, ut eiusmodi rogationem ad populum ferre posset, monuisse sufficit, quia apud nostros homines satis constat, quamvis de aetate Themistoclis maxime sit disceptatum (cfr. Curtius l. c.; Krueger hist. phil. stud. I, p. 32).

Restat examinandum ultimum Stesimbroti de Themistocle testimonium, quod quidem aperte Plutarchus ipsi tribuit (fr. XII.). Themistocles a Stesimbroto traditur, postquam ipsius uxor et liberi Athenis Epicrate adiutore clam ad Admetum, Molossorum regem pervenerint, inde in Siciliam ad Hieronem tyrannum confugisse atque eius filiam uxorem sibi petiisse Graeciam se in eius potestatem redacturum pollicitus. Quae narratio eo minorem mereri videtur fidem, quod Siculi Themistoclis itineris ne mentionem quidem ullus alius scriptor iniecit praeter auctorem Them. epist. XIX. (ed. Schoettgen) per quem tamen chronologicae rationes sunt turbatae. Quod Stesimbrotus dicit Athenis uxorem et liberos ad Admetum venisse, nihil habet offensionis (cfr. Krueger l. c.) et confirmatur Them. epist. XX. (Schoettg.). Sed quid de Siculo Themistoclis itinere est statuendum? Plutarchus (c. 25 in.) hoc factum esse negat ob iram Hieronis, quam Themistocles excitasset. Sed, ut iam Wagnerus (Zeitschr. f. Alt.-Wissensch. 1847 Nro. 15 p. 108) recte ostendit, Hieronis ira non est putanda Themistoclem deterruisse, ne ab eo salutem suam peteret, quoniam ad Admetum et Persarum regem admodum infensos confugere non dubitavit. At vero (idque est gravissimum) cum aliorum scriptorum tum Thucydidis de isto itinere silentium Stesimbroti fidei obstat. Thucydides I, 137 ab Admeto Pydnam πεζῇ Themistoclem missum esse testatur. Sed tamen hac de causa Stesimbrotus non est arguendus mendacii. Namque etsi re vera in Siciliam Themistocles non profectus est, hoc persuasum habeo, ad ipsius adversarios decipiendos et celandos, ubi versaretur, istam narrationem pervulgatam esse (cfr. etiam Curtius H. G. II p. 117). Ita sine dubio illa de Siculo itinere fama Athenis percrebuerat hancque videtur Stesimbrotus, cum praesertim credibilis esset, in opere suo secutus esse, utrum fidem ei tribuens necne, incertum est. Thucydides vero, cum certa comperire non potuisset, incerta et vana referre nolens famam istam prorsus neglexit. Cur autem Diodorus illam rem non commemorarit, ut non cognitam an ut parum credibilem non

liquet. Hoc igitur in aperto est istam Stesimbroti narrationem, utpote non omni probabilitate destitutam, non ab ipso scriptore fictam commenticiamque esse. Quae in Sicilia fecisse Themistocles dicitur, ad Pausaniae exemplum videntur esse composita. Ceterum quod Muellerus fragm. p. 54 opinatur Stesimbrotum Timocreontis Rhodii commento usum esse, nullo nititur documento, sed hoc saltem comprobat, fuisse inter Athenienses vulgatam illam de Siculo Themistoclis itinere famam.

Venimus iam ad indaganda ea, quae de Thucydide Stesimbrotus tradidit, quem praeter Themistoclem et Periclem tractatum esse operis inscriptio docet. At vero nulla exstant de illo fragmenta. Sed tamen in manifesto est quis ille fuerit Thucydides. Iam Ionsius script. hist. phil. I, c. 4 recte hoc intellexit. Etenim, ut ex universa operis natura eliciendum est, Thucydides ille est Melesiae filius, Cimonis affinis, insignis optimatium factionis fautor atque Periclis adversarius (cfr. Plut. Per. c. 8, Athen. XI, p. 506 B), qui magna sua probitate et patriae amore summam apud scriptores nactus est famam (cfr. Sintenis ad Plut. Per. p. 117 sq.; Wachsmuth H. A. I p. 583) et per Periclem Ol. 84, 1 ostracismo urbe eiectus (cfr. Arist. Vesp. v. 947; Plut. Per. c. 14 — Sint. l. c.). De hoc quidem Thucydide Stesimbrotus haud dubie narravit ut posthac apparebit. Neque a verisimilitudine abhorrere videtur, si suspicamur ea, quae Plutarchus de illo refert (ut Per. c. 8, 9, 14) e Stesimbroti libello maximam partem desumta esse. Ita equidem verba *διαμνημονεύεται δέ τις καὶ Θουκυδίδου τοῦ Μελησίου λόγος* (c. 8) ad Stesimbrotum spectare putaverim.

De Thucydide igitur nihil apertis verbis ex illo historico Stesimbroti opere servatum est, sed ad Cimonem, Miltiadis filium, nonnulla fragmenta pertinent, quae apud Plutarchum inveniuntur. Quae in eodem illo de Themistocle et Thucydide et Pericle opere locum obtinuisse censenda sunt. Cimon enim cum his tribus viris politica ratione tam arte erat con-

iunctus, ut, cum hos tractaret Stesimbrotus, illum omittere non posset. Quapropter iure mihi videor hunc locum istis reliquiis assignare et iam eas illustrare.

Cimonem neque musica neque alia quae apud Graecos floruit liberaliore arte institutum, sed etiam a facundia Attica alienum fuisse Stesimbrotus dicit (fr. XIII.). Atque in hac quidem re omnes scriptores consentiunt, Cimonem veteris temperantiae, disciplinae honestique moris amantem novas artes neglexisse ac magis Lacedaemoniorum mores disciplinamque amplexum esse. Nec minus in confesso est quod Stesimbrotus l. c. affirmat summa semper eum orationis simplicitate et liberalitate esse usum (cfr. etiam Grote Gr. G. III p. 282). Praecipue autem Lacedaemoniorum conditionem et instituta magni fecit. Quare quod a Stesimbroto traditur ab initio Lacedaemoniorum fuisse studiosus et, cum gemini sibi ex uxore Clitoria nati essent filii, alteri Lacedaemonio, alteri Eleo nomen dedisse (fr. XIV.), admodum est credibile. Cur Stesimbroto, praesertim Cimonis aequali, diffidamus, non video causam. Certe multo maiorem hac in re meretur fidem Diodoro Periegeta, quem paulo aliter narrantem Plutarchus adducit Cim. c. 16.

Similiter alio loco Stesimbrotus Cimonis Laconismi egregium affert exemplum (fr. XV.). Omnino Lacedaemonem coram Atheniensibus laudibus eum extulisse testatur; praecipue autem, cum hos reprehenderet aut cohortaretur, dicere solitum esse: At Lacedaemonii non tales se praestant. Neque haec Stesimbroti verba dubitationem movent, quandoquidem Lacedaemoniis ex indole et natura sua maxime addictus fuit. Atque hanc ob causam optimatium fautor Periclis potissimum opera ostracismo in exsilium missus est.

Sed iam antea, cum pacata Thaso insula Athenas revertisset, prae ceteris Pericle auctore accusatus erat, quod regis Alexandri donis corruptus Macedoniam, quamquam potuisset non expugnasset. Ad hoc iudicium id Stesimbroti fragmentum respicit, quod apud Plutarchum Cim. c. 14 exstat (fr. XVI.). Narrat enim Stesimbrotus Elpinicen illa occasione

pro fratre supplicatum ad Periclem venisse, hunc vero ridentem dixisse, nimis iam aetate provectam ipsam esse quam ut eiusmodi res perficere posset, sed tamen in ipso iudicio mitissimum eum in Cimonem fuisse. Itaque etiam causas accusationis et quae cum hac cohaerent, Stesimbrotus exposuisse cogitandus est, a quo Plutarchus haud dubie, quae de hac re refert, mutuatus est. De Periclis istis verbis infra dicendum erit, cum praesertim eadem, quae hoc loco, Plutarchus iterum afferat Per. c. 10 omisso auctoris nomine.

Etiam ea, quae Plutarchus de ratione coniugali, quae Cimoni cum Elpinice sorore fuerit, Cim. c. 4 verbis *εἰσὶ δ' οἵ . . . Ἐλπινίκην* exhibet, Muellerus fragm. l. c. p. 54 ad Stesimbrotum refert. Muellero in hac re assentior, quia Stesimbrotum ista memoriae prodidisse e totius operis natura consentaneum fit. Neque vero huic, siquidem auctor est illius narrationis, fides abiudicanda est. Licuit enim Atheniensi suam sororem in matrimonium ducere, scilicet si eodem patre utebatur, sed non licuit, si eadem matre soror et frater erant procreati (cfr. Wachsmuth H. A. II p. 164). Idem confirmatur a Corn. Nepote in Cimone c. 1, ubi g e r m a n a soror intelligi debet ea, quae eodem cum fratre utitur patre, non eadem matre. Cimoni autem sororem Elpinicen nupsisse fidem facit causa, quam Plutarchus l. c. apponit.

De Pericle quae Stesimbrotus narrasse traditur (haec enim iam accinger tractare), partim ad privatam eius vitam, partim ad publicam pertinent.

In uno cum satiricis hominibus ordine Plutarchus Stesimbrotum ponit, qui obtrectationes potentiorum invidiae vulgi tamquam malo genio consecrent. Sic etiam Stesimbrotum atrox et famosum scelus Periclis in filii uxorem perpetratum commemorare ausum esse (fr. XVII.). Quapropter vehementer Plutarchus queritur, quod difficillima investigatu sit res historica, quoniam ii, qui de aequalium vita et factis tradant, ob invidiam odiumque parum veritati studeant. Qua quidem in re in universum iusto Plutarchus utitur iudicio,

sed quod adeo Stesimbrotum culpat, minus mihi probatur. Sane atrox est et fabulosum s. famosum facinus, quod Pericli obiicitur. At quis inventam a Stesimbroto fictamque eius narrationem habebit? Enimvero aequalis Periclis Stesimbrotus fuit. Hunc autem de illo viro, qui in omnium ore et plurimorum gratia erat, aequalibus eius tam insolitas res de suo ingenio fingere et commentiri potuisse omnino non est credibile ut deinceps patebit.

Periclem nefasta filii uxoris consuetudine usum esse tradens Stesimbrotus etiam ab Athenaeo laudatur illo loco, qui iam supra ad partes vocatus est (fr. XVIII.). Unde Athenaeus hoc sumserit, hodie explorari nequit, sed videtur ipse hanc narrationem pro vera habere, cum dicat Periclem ad rem veneream admodum proclivem fuisse.

Minime vero Stesimbrotum illud δεινὸν ἀσέβημα ultro protulisse, sed iniuria a Plutarcho carpi dilucide perspicitur, si tertium Stesimbroti de eadem re fragmentum comparamus, quod apud Plutarchum invenitur (fr. XIX.). Etenim hoc loco, ubi de infensa ratione, quae inter Periclem et improbum filium Xanthippum intercesserit, loquitur, sine dubio e verbis πρὸς δὲ τούτοις . . . διασπαρῆναι liquet ipsum Stesimbrotum fontem illius narrationis attulisse. Namque a Xanthippo illam calumniam de uxore ipsius sparsam esse testatur. Ita hanc quidem rem a Stesimbroto non esse profectam elucet; num tamen veram eam iudicaverit et ut talem eam emulgaverit, discerni nequit. In ipso fragmento merae cavillationes et mendacia a nequissimo filio adversus patrem prolata commemorantur. De accusatione, quam in filii creditorem Pericles instituisse fertur, cfr. Meier Att. proc. p. 434.

Sed profecto Stesimbrotus Pericli non ita bonos mores videtur tribuisse. Id cum ex aliis locis tum ex illis verbis erui potest, quae Stesimbrotus Periclem Elpinicae pro fratre Cimone veniam precatae respondentem facit. Quae tamen res, quam bis (Plut. Cim. c. 14 et Per. c. 10) Plutarchum commemorasse dixi, non est commenticia neque a veritate abhorret, ut equidem censeo. Certe summam prae se fert

veri speciem, Elpinicen pro fratre deprecatum ad Periclem accessisse, propterea quod hic acerrimus erat eius accusator. Nimirum etiam postea, cum Cimon exsularet, Elpinice eadem a Pericle impetrasse traditur (fortasse a nostro Stesimbroto), ut frater Athenas rediret (cfr. etiam Grote Gr. G. III p. 287 n. 28). Verum ad illud responsum quod attinet, cur Stesimbroto prorsus diffidas non est idonea causa. Sane verba γραῦς εἶ, ὦ Ἐλπινίκη, ὡς τηλικαῦτα διαπράττεσθαι πράγματα omnino non sunt apta ad celebrandam Periclis integritatem morum, potius eos diffamant. Negari autem non potest Periclem, quamvis in universum morum simplicitate et probitate excellentissimum, libidinibus nimium indulsisse. Qua quidem in re eo Periclem defendere velle, quod neque Thucydides neque alius scriptor tale quid tradiderit, ineptum est, quoniam illi publicam tantum Periclis vitam et politicam, si dicere licet, eius vim et rationem descripserunt, Plutarchus autem quippe laudator Periclis minorem in hac re fidem meretur. Periclem vero ab isto vitio non fuisse alienum cum per se admodum est credibile, quandoquidem plurimos et clarissimos viros illius aetatis, imprimis apud Athenienses, ob effusas libidines notandos esse constat, tum ex iis facile cognoscitur, quae apud Plutarchum et Athenaeum memorantur. Ille quidem aegre eiusmodi narrationes fert ut Per. c. 13, sed omnino falsas eas esse nego, etiamsi in maius auctas concedo. Quid? quod apud Athenaeum X p. 436 Chrysillam Corinthiam adamasse Pericles traditur, XII p. 533 cum Aspasia magnam partem rei familiaris dilapidavisse, XIII p. 589 d Aspasiam quotidie bis osculatus esse, XIII p. 589 e Elpinices concubitum mercedem accepisse, quod Cimonem in patriam restituisset. Similiter XIII p. 572 Periclem in Samum insulam secutae meretrices templum Veneri ibi dedicasse narrantur. Etsi non omnia haec pro certis accipienda sunt, tamen satis comprobant Periclem fuisse libidinosum; neque incorruptus iudex hoc infitiabitur. Atque huic rei optime convenit illud Periclis responsum, in quo nihil equidem inveni, quod suspicionem movere possit in Stesimbrotum.

Ad publicam Periclis vitam haud dubie respicit is locus, ubi Stesimbrotus de expeditione Periclis adversus Samum facta agit (fr. XX.). Stesimbrotus in his, quae ibi refert, in universum cum Thucydide et Diodoro consentire putandus est, recedit autem pro ratione Plutarchi verborum ab iis hac re, quod Periclem Samo ἐπὶ Κύπρον profectum esse testatur, cum Thucydides I, 116 ἐπὶ Καύνου καὶ Καρίας dicat neque Diodorus mentionem faciat Cypri. Neque Plutarcho, quod Stesimbrotus profert ἐπὶ Κύπρον, probatur. Sed tamen non tantopere errasse Stesimbrotus videtur. Mea quidem opinione Stesimbrotus quoque memoriae prodidit Periclem ad eum finem Samo cum classe profectum esse, ut navibus Phoenicum Samiis auxilio venientibus occurreret; hanc ob causam eum Cyprum petiisse, scilicet ut in eius vicinia naves Phoenicum, ubi fere cursum eas tenere veri simile erat, reprimeret, atque in cursu peragendo impediret, non quo contra ipsam insulam Cyprum aliquid molitus esset. Idque verba ἐπὶ Κύπρον στελλόμενος mihi quidem exprimere videntur, neque Thucydides aliud dicit verbis ᾤχετο ἐπὶ Καύνου καὶ Καρίας, nam idem fere iter est Samo Cyprum atque Cariam versus navigantibus. Certe igitur apparet, non plurimum differre Stesimbrotum in ista re a Thucydide. Quod vero neque Diodorus Cyprum commemorat XII, 27, nullam potest habere vim.

Eximie cum illo de Samia Periclis expeditione Stesimbroti fragmento cohaeret et coniungendum est id, quo Periclis de Atheniensibus in expugnanda Samo mortuis funebris oratio commemoratur (fr. XXI.). Pericles enim a Stesimbroto affertur dicens, immortales evasisse mortuos illos tamquam deos; quemadmodum enim hos homines non conspiciant sed tantum ex eorum honoribus et bonis quae praebeant immortales eos esse cognoscant, ita hoc evenisse etiam illis pro patria mortuis. Quod de hac Periclis oratione non plus e Stesimbroti opere compertum habemus, dolendum est; singularis enim videtur fuisse eius venustas (Cfr. Plutarch. Per. c. 28; Grote l. c. III p. 338). Ceterum pro librorum le-

etione ἅπερ ἔχουσι Bryani coniecturam ἃ παρέχουσι solum locum habere posse, cum sola rectum hic efficiat sensum tam in aperto est, ut in disceptationem vocari nequeat.

Hae sunt reliquiae historici operis, quae aperte Stesimbroto a Plutarcho et Athenaeo tribuuntur. Haec enim fragmenta, quae modo tractavimus, omnia ad historicum illum de Themistocle et Thucydide et Pericle libellum pertinere, non iam opus est fusius demonstrare. Complura autem Plutarchum e Stesimbroto in suum usum convertisse non addito eius nomine, persuasum habeo. Sed de hac re postea sermo erit.

Restat disputandum de eo fragmento, quod apud Fulgentium de abstr. serm. v. sandapila invenitur (fr. XXII.); neque inepte id hoc loco poni mox liquebit. Quod quidem fragmentum non Stesimbroto dandum sed, ut fere omnia, a Fulgentio ipso fictum et commenticium habendum esse cum alii tum novissime Lerschius in editione huius libelli Bonn. 1840 affirmavit atque evincere studuit. Cum vero mihi quidem Lerschius (ad hunc enim respicio, ne alios morer) omnino non persuaserit, praesertim ad illud Stesimbroti testimonium quod attinet, contra Lerschium hoc defendere et tueri conabor. In universum Fulgentius talis falsarius iudicari nequit, ut omnia quae protulit de industria finxerit ad decipiendos homines et comparandam sibi doctrinae gloriam. Neque Lerschius omnia esse falsa comprobavit, veluti l. c. p. 29. Potius cum Gerlachio (Nonius Basil. 1842 praef. XXX sq.), Schneidewinio (goett. gel. anz. 1843 nro 72 p. 708 sq.), Osanno (Hall. a. L.-Z. 1843 nro 87 p. 696 sq.), aliis arbitror, omnino fidem Fulgentio non debere denegari, quamquam saepenumero in citandis locis vel laudandis auctoribus negligentia aut inscitia peccavit. Praecipue vero nihil est quod nostri Stesimbroti fragmenti fidei repugnet. Optime enim illa interfecti Polycratis mentio locum habere potuit in illo historico de Themistocle etc. opere, cum Stesimbrotus de Samia Periclis expeditione ageret. Namque ibi, cum de proelio cum Samiis facto deque sepeliendis haud dubie mortuo-

rum corporibus loqueretur, occasio facillime oblata est ut commemoraret, interfectos vulneratosque talibus feretris deportatos esse, quali Polycratem, Samiorum regem, postquam de cruce, qua erat affixus (cfr. Herod. III, 39 et 125 ibique Baehr; Valer. Max. VI, 9, 5) depositus esset. Quare nihil obstat quin nostrum fragmentum, ubi Stesimbrotus de Polycratis morte dicit, ad eius de Themistocle etc. libellum referamus. Ita variae Lerschii l. c., Roscheri (Leb., Werk. u. Zeitalt. d. Thuc. p. 243), Muelleri fragm. l. c. p. 56, C. Fr. Hermanni (ind. lect. l. c. p. IX n. 97) de Samia vel Polycratis historia a Stesimbroto conscripta coniecturae nihil valent.

Deinde autem quod Lerschius l. c. p. 25 opponit, vix tale Stesimbroti opus etiam sexto seculo p. Ch. n. notum esse potuisse, nihil est. Certe qua ratione Fulgentius locum aliquem Stesimbroto scriptori affinxisse cogitari possit, cuius opus aut nomen ne notum quidem fuerit, alii videant, equidem non intelligo. Praeterea Stesimbroti opus aut nomen, Plutarcho, Athenaeo etiam satis notum, Fulgentii aetate prorsus iam in oblivionem venisse non est credibile. Neque vero probabile documentum Lerschius p. 27 inde petit, quod Fulgentius ipse profiteatur v. Problema „Sed ne quid Graecum te turbet exemplum, ego pro hoc tibi Latinum faciam." Etenim ex his verbis neutiquam sequitur, nostrum exemplum adhibere Fulgentio non licuisse. Ceterum rem ita expediendam puto ut statuamus, non ex ipso Stesimbroti opere Fulgentium locum illum sumsisse, sed aut ex deperdito aliquo Latino auctore aut nescio an ex ignoto commentario ad Iuvenalem vel Martialem vel alio scriptore, ubi vox sandapila inveniretur et Polycratis exemplo e Stesimbroti historia petito explicaretur aut ubi res Polycratis fortunae similis narraretur. Quo modo simul Lerschii sententia refutatur permirum arbitrantis ex Graeco scriptore ad comprobandum Latinae vocis usum Latina verba citari.

Ab omni autem veri similitudine abhorret ratio, qua Lerschius p. 27 non Stesimbrotum Thasium sed Suetonium Fulgentio ante oculos versatum fuisse suspicatur. Talis ratio-

cinatio, qualem ille statuit adeo est mira atque omnino ab humano ingenio aliena, ut nemini, puto, probari possit. Sed ut Lerschium sequamur, unde Fulgentius Stesimbroti Thasii nomen desumsit aut qua ratione in hoc ipsum nomen illo Suetonii loco (Dom. c. 17), ex quo Fulgentius illum Stesimbroti locum composuerit, incidit? Hanc difficillimam quaestionem Lerschius non tetigit nedum absolverit; neque ita facile mihi videtur posse enucleari.

Hoc igitur mea sententia patet, nulla re nos vetari ad Stesimbrotum nostrum Thasium re vera illud fragmentum referre quod Fulgentius l. c. servavit; neque minus certum esse puto, in illo Stesimbroti de Themistocle et Thucydide et Pericle opere illud locum obtinuisse.

Postquam igitur historici operis, quae supersunt, fragmenta collegimus et, quantum fieri potuit, illustravimus, paucis de eius natura et indole iudicium ferre licet. Sinteniśius (comm. Them. p. 15) id sic fuisse compositum opinatur, magis ut magnorum virorum nominibus obtrectarit quam iustis laudibus ornarit. Quam sententiam refutare non est huius loci; aliter autem rem esse accipiendam, in percensendis singulis fragmentis apparuisse puto. Equidem, ut breviter, quae sentio, exponam, hoc pro certo statuerim, quod iam Muellerus l. c. p. 52 recte intellexit, Stesimbrotum ab optimatium partibus stetisse atque hanc rationem in conscribendo historico libello secutum esse. Sic in aperto est, cur Cimonem, aristocraticae factionis principem, prae ceteris magni facere videatur (cfr. fr. XIII.). Neque aliter Thucydidem, Cimonis affinem eumque optimatium rebus maxime studentem et acerrimum Periclis adversarium descripsisse et laudibus extulisse existimandus est. At vero Themistoclem et Periclem utpote praestantissimos liberae rei publicae fautores, qui democratiam ad summum imperii florisque fastigium evexerant (atque omnino etiam philosophos novarum rerum studiosos, praecipue Anaxagoram perosus) procul dubio tamquam perniciei civitatis auctores notavit et reprehendit. Unde non

est mirum, quod etiam minutas res tractavit, quibus diversi singulorum virorum mores optime patefierent. Sed eiusmodi narratiunculas omnino non ab ipso fictas commenticiasque esse ad augendam alterorum, ad alterorum diminuendam gloriam, sed aut ita ab eo tradi, ut ab aliis fama pervulgatae fuisse videantur, aut a veritate non adeo recedere, ut calumniarum et mendaciorum loco sint habendae, supra ostendimus. Quamquam in universum non sine studio et ira Stesimbrotus scripserit, nam cum de duarum factionum principibus ageret alteri addictus, necesse est certis quibusdam praeiudiciis praeoccupatus fuerit. Atque hac potissimum re a Thucydide differt, qui easdem res, quas ille, quamvis summatim et gravissimarum tantum respectu habito tractavit. Manifesto autem Stesimbrotus Thucydide, illo omnium historicorum maximo, longe est inferior. Neque tamen Stesimbrotus prorsus contemni debet. Nam etiamsi non semper ea quae historicum decet iudicii veritate et acumine in enarrandis Themistoclis, Cimonis, Thucydidis et Periclis rebus usus est, tamen neque de industria falsa tradidisse censendus est, neque commenticiarum et cum fide acceptarum narrationum ullum in eius fragmentis invenitur vestigium. Quapropter iniuria Plutarchus apertis verbis mendacii vel levitatis negligentiaeque Stesimbrotum arguit. Etenim Plutarchum in eiusmodi iudiciis errasse vidimus. Id autem in universum constat hodie, Plutarchum quamquam plurimis virtutibus excellentem scriptorem, saepissime ingenii subtilitate atque arte vera et falsa inter se discernendi carere et reprehendendum esse ob nimium studium homines describendi non quales fuerunt sed quales fuisse eos ipse sibi animo finxit. Sic imagines illae excellentium virorum in vitis parallelis expressae non omni ex parte sunt verae. Tali modo cum aliorum illustrium virorum tum Periclis laudator exstitit Plutarchus, qui quaecunque alii dixerant ab eius gloria aliena ut falsa et commenticia repudiaret. Quae cum ita sint, mirandum non est, quod Stesimbroto saepius aut nihil aut parum fidei praestitit, quippe qui ipsi videretur Periclis prae ceteris

gloriae obtrectare. Noli igitur Plutarchi de Stesimbroto sententiae prorsus accedere. Verum enimvero persuasum habeo, longe plura quam quae nominatim attulit Plutarchum in illis vitis parallelis e Stesimbroti opere silentio desumsisse. Nomen enim Stesimbroti mea opinione tum expressis verbis laudat, cum mira aut falsa eum protulisse docere vult, aut hoc consilio Stesimbroti nonnunquam mentionem iniicit, ut doctrinam suam scriptorumque cognitionem simulque suam in diiudicandis rebus calliditatem ostentet; ita enim saepius Plutarchum se gessisse negari nequit.

Neque temere mihi videor suspicari, quanam de causa Stesimbrotum optimatium factioni favisse veri simile sit. Etenim praeterquam quod cum Cimone, ut supra vidimus, artiore quodam familiaritatis vinculo coniunctus fuisse videtur, magnam veri speciem ex universa operis indole accipit sententia, quod studiis democraticis in dies mores hominum magis magisque depravari cognoverit, ideo haec eum impedire voluisse describendis utriusque factionis principibus. Ita videtur Cimonis virtutes celebrasse, Periclis vitia vividis coloribus depinxisse et fortasse etiam in maius auxisse nescio ad Atheniensium mores iam corrumpi coeptos corrigendos. Quae si ita sunt, et mihi quidem videntur, non modo excusandus est Stesimbrotus sed minime tales vituperationes meretur, quales adhuc expertus est, quasi magnorum virorum vel fere aequalium vel aequalium gloriam diminuere studuerit mira et falsa ac turpitudinis infamiaeque plena referendo. Omni autem argumento destitutus est Sintenisius, quod l. c. p. 15 contendit, imprimis in isto opere suo Stesimbrotum privatam illorum virorum vitam tractare videri. Nam complura fragmenta haud dubie ad solam publicam illorum virorum vitam pertinent vel spectant ad mores et ingenia eorum adumbranda. Ut mea vero fert sententia, politicam, ut ita dicam, rationem Stesimbrotus in conscribendo libello secutus est, simul autem id maxime egit, ut mores et indoles Themistoclis, Cimonis, Thucydidis, Periclis quam clarissime cognoscerentur. Haec totius operis natura universae hominis conditioni, qua-

lis in prima commentationis parte apparuit, eiusque quasi pragmaticae rationi eximie convenit, si quidem Athenienses docere voluit, quid de illis viris esset iudicandum. Nostrum hac in re privatam eorum vitam omittere non potuisse liquet. Ita quodammodo simili atque comici poetae illius aetatis loco Stesimbrotus videtur habendus, sicut ab ipso Plutarcho cum satiricis istis hominibus componitur (fr. XVII.). Omnino autem ex iis, quae de singulis fragmentis disputavimus, id, puto, elucet, fidem Stesimbroto non omnino denegari debere. Maiorem certe fidem auctoritatemque Stesimbrotus meretur, quam usque ad hoc tempus invenit iniqua doctorum etiam nostrae aetatis virorum iudicia expertus, ut Sintenisii, C. Fr. Hermanni, Muelleri (fragm. l. c.). Prae ceteris aequissime de Stesimbroto C. O. Muellerus Hist. litt. gr. II p. 18 n. 4 iudicat his verbis: „Stesimbrotus ist freilich nicht mit Unrecht verrufen wegen der Leichtglaeubigkeit und Lust, womit er die chronique scandaleuse jener Zeit erzaehlt; allein Beobachtungen . . ., die so aus der unmittelbaren Anschauung des ganzen Lebens geschoepft sind, bleiben immer hoechst schaetzbar.“

Restat ut de compositione huius operis et de eius dicendi genere dicamus. Ad illam quod attinet, non continua oratione et ex ordine singulorum virorum res Stesimbrotum pertractasse veri simile est, unde iusta et continua evaderet historia, sed ut iam ex inscriptione libelli eruere licet, comparationem eum inter singulas illorum vitae rationes et res gestas ac mores instituisse. Atque haec opinio eo maiorem accipit probabilitatem, quod sic singulae illorum virtutes et vitia simulque ratio quae ipsis inter se intercessit multo dilucidius profecto cognoscebantur. De genere dicendi, quali Stesimbrotus et in hoc et in reliquis scriptis usus sit, sententiam ferre non ausim propterea, quod nullum Stesimbroti orationis dictionisque vestigium inadgari potest.

Fragmenta.

Περὶ Ὁμήρου.

I.

Iriart. Vit. Hom. (p. 31 : vit. script. min. ed. Westerm.): *Ἀναξιμένης καὶ Δαμάστης καὶ Πίνδαρος Χῖον τὸν Ὅμηρον ἀποφαίνονται....., Ἀντίμαχος δὲ Κολοφώνιον, Στησίμβροτος δὲ Σμυρναῖον.*

II.

Schol. ad Hom. Il. XI, 636 (*Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης πλεῖον ἐόν* (scil. *τὸ δέπαρ* v. 632), *Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.*)

Οὐχ ὥς τινες, ἐπὶ Μαχάονος τὸ ἄλλος ἐκδέχεσθαι χρή, ἀλλ' ἀορίστως πρὸς ἔπαινον τοῦ γέροντος. θέλει γὰρ εἰπεῖν.... Στησίμβροτος δέ φησιν, ἵνα δοκῇ εἰκότως πολλὰ ἔτη βεβιωκέναι· εἰ γὰρ παρκμόνιος ἡ ἰσχὺς καὶ οὐκ ἀπὸ γήρως μεμάρανται, καὶ τὰ τῆς ζωῆς εὔλογον εἶναι παραπλήσια· Ἀντιφάνης δὲ ... οἶκον, Γλαῦκος δέ, ὅτι κατὰ .... εὔφορον.

Eadem, sed manca, in Crameri Anecd. Paris. vol. III, p. 16, 14 inveniri Muellerus hist. graec. fr. II, 58 dicit.

III.

Schol. ad Il. XV, 193 (*Γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς Ὄλυμπος.*)

Πῶς δέ φησι, γαῖα δέ τι ξυνὴ καὶ μακρὸς Ὄλυμπος; Κράτης ἐν δευτέρῳ Ὁμηρικῶν καὶ Στησίμβροτος οὕτως δέδασται.

IV.

Schol. ad Il. XXI, 76 (*Πὰρ γὰρ σοὶ πρώτῳ πασάμην Δημήτερος ἀκτήν.*)

Ἀποροῦσι, πῶς ὁ ἱκετεύων πρὸς τὸν Ἀχιλλέα ἔφη: πὰρ γὰρ σοὶ — ἀκτήν· τὸ γὰρ λέγειν, καθάπερ Στησίμβροτος, ὅτι οἱ βάρβαροι ὄλφιτα οὐκ ἐσθίουσιν, ἀλλ' ἄρτους κριθίνους, ψεῦδος.

Eadem in Crameri An. Par. III, p. 27, 13 (cfr. Mueller l. c.)

Περὶ Τελετῶν.

V.

a) Etym. M. v. Ἰδαῖοι (p. 465, 30).

Δάκτυλοι Ἰδαῖοι .... — εἰσὶ δὲ τὸν ἀριθμὸν δέκα· διὸ καὶ Δάκτυλοι προσηγορεύθησαν.... Στησίμβροτος δὲ ἐν τῷ Περὶ τελετῶν Διὸς καὶ Ἴδης νύμφης αὐτοὺς λέγει· φησὶν ὅτι Ζεὺς ἐκέλευσε τὰς ἰδίας τροφοὺς

λαβεῖν κόνιν καὶ ῥῖψαι εἰς τοὐπίσω· καὶ ἐκ τῆς κόνεως γενέσθαι τοὺς Ἰδαίους Δακτύλους.

b) Schol. ad Apoll. Rhod. Arg. I, 1126.

Ὅτι δὲ νύμφη τις Οἰαξίδος γῆς δραξαμένη τοὺς καλουμένους Ἰδαίους Δακτύλους ἐποίησε, παρὰ Στησιμβρότου εἴληφε· καὶ ὅτι διὰ τῶν χειρῶν διεῤῥύησαν, Δακτύλους κληθῆναι.

VI.

Strabo X, 472.

Ἔτι δὲ Κρόνου τινὲς τοὺς Κορύβαντας, ἄλλοι δὲ τοῦ Διὸς καὶ Καλλιόπης φασὶ, τοὺς αὐτοὺς τοῖς Καβείροις ὄντας· ἀπελθεῖν δὲ τούτους εἰς Σαμοθρᾴκην, καλουμένην πρότερον Μελίτην· τὰς δὲ πράξεις αὐτῶν μυστικὰς εἶναι. Ταῦτα δ' οὐκ ἀποδεξάμενος ὁ Σκήψιος ὁ τοὺς μύθους συναγαγὼν τούτους, ὡς μηδενὸς ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστικοῦ λόγου περὶ Καβείρων λεγομένου, παρατίθησιν ὁμοίως καὶ Στησιμβρότου τοῦ Θασίου δόξαν, ὡς τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἱερὰ τοῖς Καβείροις ἐπετελεῖτο· καλεῖσθαι δέ φησιν αὐτοὺς ἐκεῖνος ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ ἐν Βερεκυνθίᾳ Καβείρου.

VII.

a) Etym. M. v. Διόνυσος.

Οἱ μὲν Διόνυξον αὐτὸν ὀνομάζουσιν ὅτι σὺν κέρασι γεννώμενος ἔνυξε τὸν Διὸς μηρὸν, ὡς Στησίμβροτος.

b) Tzetza ad Lycophr. Cassandr. p. 42 ed. Steph.

ταύρῳ· τῷ Διονύσῳ, ὅτι ... Στασίμβροτος δὲ καὶ Διόνυσον αὐτὸν καλεῖ, ὅτι κερατοφόρος ἐξελθὼν τὸν Διὸς μηρὸν ἔνυξε.

Στασίμβροτος pro *στασίμβροτον* legendum esse iam Creuzerus in Dionyso I p. 9 (Heidelb. 1808) docuit. *Διόνυξον* pro *Διόνυσον* videtur scribendum ex ista etymologia.

VIII.

Schol. ad Apoll. Rhod. Arg. I, 1304 (ἄθλων γὰρ Πελιάου ἕως τοῦ ἀμφ' αὐτοῖς)

Ὅτι Ἡρακλῆς ἀνεῖλε τοὺς Βορεάδας διὰ τὸ κωλῦσαι τὴν ναῦν ... φησὶν Ἀπολλώνιος... Στησίμβροτος δὲ ὅτι διαφορὰν ἔσχον πρὸς τὸν Ἡρακλέα περὶ τῶν δεδομένων δώρων ὑπὸ Ἰάσονος τοῖς ἀριστεῦσιν.

IX.

Suidas v. τυφλότερος ἀσπάλακος.

Τυφλότερος ἀσπάλακος, διὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸ ζῶον τοῦτο ὀφθαλμούς· φησὶ δ' αὐτὸ Στησίμβροτος ὑπὸ τῆς Γῆς τυφλωθῆναι διὰ τὸ φθείρειν τοὺς κάρπους.

Eadem leguntur apud Apostolium XIX, 65, Arsenium 452, Hesychium, Photium. Cfr. Leutsch ad Diogenian. Cent. VIII, 25 in „corpus paroem. Graec." ed. Leutsch et Schneidew. (I) p. 309.

Περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους.

X.

Plut. Them. c. 2.

Στησίμβροτος Ἀναξαγόρου τε διακοῦσαι τὸν Θεμιστοκλέα φησὶ καὶ περὶ Μέλισσον σπουδάσαι τὸν φυσικὸν οὐκ εὖ τῶν χρόνων ἁπτόμενος· Περικλεῖ γάρ, ὃς πολὺ νεώτερος ἦν Θεμιστοκλέους, Μέλισσος μὲν ἀντεστρατήγει πολιορκοῦντι Σαμίους, Ἀναξαγόρας δὲ συνδιέτριβε. — Quae paulo post Plutarchus dicit *Ἃ δὲ τούτων ἐξαρτῶσιν ἔνιοι διηγήματα πλάττοντες, ἀποκήρυξιν μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, θάνατον δὲ τῆς μητρὸς ἑκούσιον, ἐπὶ τῇ τοῦ παιδὸς ἀτιμίᾳ περιλύπου γενομένης, δοκεῖ κατεψεῦσθαι.* haec ad Stesimbrotum pertinere Wichersio (de font. Corn. Nep. p. 105) et Sintenisio (ad h. l.) assentior.

XI.

Plut. Them. c. 4.

Καὶ διαβολὴν καθ' αὐτοῦ παρέσχεν (vid. anteced.), *ὡς ἄρα Θεμιστοκλῆς τὸ δόρυ καὶ τὴν ἀσπίδα τῶν πολιτῶν παρελόμενος εἰς ὑπηρέσιον καὶ κώπην συνέστειλε τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον. Ἔπραξε δὲ ταῦτα Μιλτιάδου κρατήσας ἀντιλέγοντος, ὡς ἱστορεῖ Στησίμβροτος.*

XII.

Plut. Them. c. 24.

Ἐκεῖ δ' (scil. ad Admetum, Molossorum regem) *αὐτῷ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας ἐκκλέψας ἐκ τῶν Ἀθηνῶν Ἐπικράτης ὁ Ἀχαρνεὺς ἀπέστειλεν, ὃν ἐπὶ τούτῳ Κίμων ὕστερον κρίνας ἐθανάτωσεν, ὡς ἱστορεῖ ὁ Στησίμβροτος. Εἶτ' οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπιλαθόμενος τούτων ἢ τὸν Θεμιστοκλέα ποιῶν ἐπιλαθόμενον πλεῦσαί φησιν εἰς Σικελίαν καὶ παρ' Ἱέρωνος αἰτεῖν τοῦ τυράννου τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, ὑπισχνούμενον αὐτῷ τοὺς Ἕλληνας ὑπηκόους ποιήσειν, ἀποστρεψαμένου δὲ τοῦ Ἱέρωνος οὕτως εἰς τὴν Ἀσίαν ἀπᾶραι.*

XIII.

Plut. Cim. c. 4.

Στησίμβροτος δ' ὁ Θάσιος περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς φησιν αὐτὸν οὔτε μουσικὴν οὔτε ἄλλο τι μάθημα τῶν ἐλευθερίων καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐπιχωριαζόντων ἐκδιδα-

χθῆναι δεινότητός τε καὶ στωμυλίας Ἀττικῆς ὅλως ἀπηλλάχθαι, καὶ τῷ τρόπῳ πολὺ τὸ γενναῖον καὶ ἀληθὲς ἐνυπάρχειν καὶ μᾶλλον εἶναι Πελοποννήσιον τὸ χρῆμα τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνδρός,

Φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθόν, κατὰ τὸν Εὐριπίδειον Ἡρακλέα· ταῦτα γάρ ἔστι τοῖς ὑπὸ τοῦ Στησιμβρότου γεγραμμένοις ἐπειπεῖν.

XIV.

Plut. Cim. c. 16 in.

Ἦν μὲν οὖν ἀπ' ἀρχῆς φιλολάκων (scil. Κίμων) καὶ τῶν γε παίδων τῶν διδύμων τὸν ἕτερον Λακεδαιμόνιον ὠνόμασε, τὸν δ' ἕτερον Ἠλεῖον, ἐκ γυναικὸς αὐτῷ Κλειτωρίας γενομένους, ὡς Στησίμβροτος ἱστορεῖ· διὸ πολλάκις τὸν Περικλέα τὸ μητρῷον αὐτοῖς γένος ὀνειδίζειν.

XV.

Plut. Cim. c. 16 med.

Ἔπειτα ... καὶ τὸν Κίμωνα τοῖς Σπαρτιάταις οὐκ ἠρέμα προςκείμενον ὁρῶντες ἤχθοντο. Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐπὶ παντὶ μεγαλύνων τὴν Λακεδαίμονα πρὸς Ἀθηναίους καὶ μάλιστα ὅτε τύχοι μεμφόμενος αὐτοῖς ἢ παροξύνων, ὥς φησι Στησίμβροτος, εἰώθει λέγειν· „Ἀλλ' οὐ Λακεδαιμόνιοί γε τοιοῦτοι.“

XVI.

Plut. Cim. c. 14.

Ἐπεὶ δὲ ... ῥᾳδίως ἐπιβῆναι Μακεδονίαν, αἰτίαν ἔσχε (scil. Κίμων) ... καὶ δίκην ἔφυγε ... Μνησθεὶς δὲ τῆς κρίσεως ἐκείνης ὁ Στησίμβροτός φησι τὴν Ἐλπινίκην ὑπὲρ τοῦ Κίμωνος δεομένην ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ Περικλέους (οὗτος γὰρ ἦν τῶν κατηγόρων ὁ σφοδρότατος), τὸν δὲ μειδιάσαντα „Γραῦς εἶ“ φάναι „γραῦς, ὦ Ἐλπινίκη, ὡς τηλικαῦτα πράττεσθαι πράγματα“· πλὴν ἔν γε τῇ δίκῃ πρᾳότατον γενέσθαι τῷ Κίμωνι καὶ πρὸς τὴν κατηγορίαν ἅπαξ ἀναστῆναι μόνον, ὥσπερ ἀφοσιούμενον.

Eadem Plutarchus etiam in Pericle c. 10 commemorat, non addito nomine Stesimbroti.

XVII.

Plut. Per. c. 13 extr.

Καὶ τί ἄν τις ἀνθρώπους σατυρικοὺς τοῖς βίοις καὶ τὰς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίας ὥσπερ δαίμονι κακῷ τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθύοντας ... θαυμάσειεν, ὅπου καὶ Στησίμβροτος ὁ Θάσιος δεινὸν ἀσέβημα καὶ μυθῶδες ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησεν εἰς τὴν γυναῖκα τοῦ υἱοῦ κατὰ τοῦ Περικλέους; οὕτως ἔοικε ... τὴν ἀλήθειαν.

XVIII.

Athenaeus XIII, p. 589 D. E.

Ἦν δ' οὗτος ἀνὴρ (scil. Περικλῆς) πρὸς ἀφροδίσια πάνυ καταφερής· ὅστις καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ συνῆν, ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ χρόνους γενόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτὸν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους.

XIX.

Plut. Per. c. 36.

Τὰ δ' οἰκεῖα ... Ὁ γὰρ πρεσβύτατος ... Πρὸς δὲ τούτοις καὶ τὴν περὶ τῆς γυναικὸς διαβολὴν ὑπὸ τοῦ Ξανθίππου φησὶν ὁ Στησίμβροτος εἰς τοὺς πολλοὺς διασπαρῆναι καὶ ὅλως ἀνήκεστον ἄχρι τῆς τελευτῆς τῷ νεανίσκῳ πρὸς τὸν πατέρα παραμεῖναι τὴν διαφοράν· ἀπέθανε γὰρ ὁ Ξάνθιππος ἐν τῷ λοιμῷ νοσήσας.

XX.

Plut. Per. c. 26.

Ἐπεὶ δὲ ... κατεκλείσθησαν οἱ Σάμιοι, λαβὼν ὁ Περικλῆς ἑξήκοντα τριήρεις ἔπλευσεν εἰς τὸν ἔξω πόντον, ὡς μὲν οἱ πλεῖστοι λέγουσι, Φοινισσῶν νεῶν ἐπικούρων τοῖς Σαμίοις προςφερομένων ἀπαντῆσαι καὶ διαγωνίσασθαι ποῤῥωτάτω βουλόμενος, ὡς δὲ Στησίμβροτος, ἐπὶ Κύπρον στελλόμενος, ὅπερ οὐ δοκεῖ πιθανὸν εἶναι.

XXI.

Plut. Per. c. 8.

Ὁ δὲ Στησίμβροτός φησιν, ὅτι τοὺς ἐν Σάμῳ τεθνηκότας ἐγκωμιάζων ἐπὶ τοῦ βήματος ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι καθάπερ τοὺς θεούς· οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν, ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς, ἃς ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ παρέχουσιν, ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα· ταὐτ' οὖν ὑπάρχειν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανοῦσιν.

XXII.

Fulgentius de abstr. serm. v. sandapila.

Sandapilam dici voluerunt antiqui feretrum mortuorum, id est loculum non in quo nobilium corpora sed in quo plebeiorum atque damnatorum cadavera portabantur. Sicut Stesimbrotus Thasius de morte Polycratis regis Samiorum scripsit dicens. Posteaquam de cruce depositus est, sandapila etiam deportatus est.

XVIII.

Athenaeus XIII, p. 589 D. E.

Ἦν δ' οὗτος ἀνὴρ (scil. Περικλῆς) πρὸς ἀφροδίσια πάνυ καταφερής· ὅστις καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ συνῆν, ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ χρόνους γενόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτὸν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους.

XIX.

Plut. Per. c. 36.

Τὰ δ' οἰκεῖα ... Ὁ γὰρ πρεσβύτατος ... Πρὸς δὲ τούτοις καὶ τὴν περὶ τῆς γυναικὸς διαβολὴν ὑπὸ τοῦ Ξανθίππου φησὶν ὁ Στησίμβροτος εἰς τοὺς πολλοὺς διασπαρῆναι καὶ ὅλως ἀνήκεστον ἄχρι τῆς τελευτῆς τῷ νεανίσκῳ πρὸς τὸν πατέρα παραμεῖναι τὴν διαφοράν· ἀπέθανε γὰρ ὁ Ξάνθιππος ἐν τῷ λοιμῷ νοσήσας.

XX.

Plut. Per. c. 26.

Ἐπεὶ δὲ ... κατεκλείσθησαν οἱ Σάμιοι, λαβὼν ὁ Περικλῆς ἑξήκοντα τριήρεις ἔπλευσεν εἰς τὸν ἔξω πόντον, ὡς μὲν οἱ πλεῖστοι λέγουσι, Φοινισσῶν νεῶν ἐπικούρων τοῖς Σαμίοις προςφερομένων ἀπαντῆσαι καὶ διαγωνίσασθαι πορρωτάτω βουλόμενος, ὡς δὲ Στησίμβροτος, ἐπὶ Κύπρον στελλόμενος, ὅπερ οὐ δοκεῖ πιθανὸν εἶναι.

XXI.

Plut. Per. c. 8.

Ὁ δὲ Στησίμβροτός φησιν, ὅτι τοὺς ἐν Σάμῳ τεθνηκότας ἐγκωμιάζων ἐπὶ τοῦ βήματος ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι καθάπερ τοὺς θεούς· οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν, ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς, ἃς ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ παρέχουσιν, ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα· ταῦτ' οὖν ὑπάρχειν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανοῦσιν.

XXII.

Fulgentius de abstr. serm. v. sandapila.

Sandapilam dici voluerunt antiqui feretrum mortuorum, id est loculum non in quo nobilium corpora sed in quo plebeiorum atque damnatorum cadavera portabantur. Sicut Stesimbrotus Thasius de morte Polycratis regis Samiorum scripsit dicens. Posteaquam de cruce depositus est, sandapila etiam deportatus est.